INSCRIPTIONES

HISTORICAE REGVM SCOTORVM,

CONTINVATA ANNORVM SERIE

A FERGVSIO primo Regni Conditore ad noſtra tempora:

IOH. IONSTONO Abredonenſe Scoto, Authore.

Præfixus eſt GATHELVS, ſive de Gentis origine Fragmentum An. Melvini.

Additæ ſunt icones omnium regum nobilis Familiæ Stuartorum in ære ſculptæ.

AMSTELDAMI,

Excudebat Cornelius Claeſſonius Andreæ Hartio, bibliopolæ Edemburgenſi.

ANNO 1602.

AD SERENISSIMVM IACOBVM VI. SCOTORVM REGEM.

I. I.

INSCRIPTIONES *has Regum maiorum tuorum,* REX SERENISSIME, *adolescens in Germania primùm meditatus fui. Incitavit me huc cùm studium historiæ nostræ, tùm exemplum illustrium Poëtarum, Ausonii, Mycilli, Velii, Sabini, qui simili modo descriptos Cæsares Romanos, & Germanicos invulgarunt. Ac illi quidem videntur Historiæ severitatem poëticâ suavitate utiliter temperavisse: ut hoc temperamento studiũ historicæ prudentiæ præstantibus ingeniis (quæ poëticis numeris facilius capiuntur) insinuarent; aut certe pellicerent ad utilem lectionem. Id ipsum in his nostris sequi mihi studio fuit. In quibus historiæ nostræ vestigia legens, præcipuo rerum momenta, quæ ad actionem & usum maxime pertinere videbantur, quantũ in hoc genere operis fieri potuit, breviter adnotavi. Ea Maiestati Tuæ iam pridem exhibita, lecta, recensita, & augusto iudicio tuo probata, nunc auspiciis & authoritate tuâ edita, subumbram patrocinii & clientelæ tuæ redeunt, unde vitam primum & publici favoris auram hauserunt. Non quod hæc tenuioris operæ digna sint Maiestate & splendore nominis tui: Sed ut per manus tuas tradantur* HENRICO PRINCIPI *filio, qui eam ætatem nunc ingreditur, quæ literas & disciplinæ cultum capere potest; quæq; mox formanda sit rectis & salutaribus institutis Pietatis, Prudentiæ, ac omnis Heroicæ Virtutis; exemplisq; firmanda ex Historia petitis, domesticâ & externâ. Ex quibus discat maturè discernere inter* IMPERIVM & TYRANNIDEM: *Et inde capere (ut est apud Romanum Scriptorem) sibi Reiq; publicæ utile ac frugiferum, quod imitetur; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitet: ut per hæc frugi semina adolescat ad maturitatem & robur actionis, amoremq; omnis virtutis ac imprimis veræ* PIETATIS, *quæ reliquarum virtutum familiam ducit & moderatur.*

DEVS *ac Pater cælestis M. T. æterno, bonoq; Spiritu suo regat,*
& HENRICI PRINCIPIS *divinæ*
indoli benedicat cumulatissimè.

Ex Academia Regia Andreana.
ANNO cIↃ IↃ c.

HISTORIAE vera laus.

And. Melvino Authore.

INDEX ævi omnis, lux veri, mentis ocellus,
Mens animi, vitæ regula, vita animæ;
Nuncia magnarum & mirandarum aurea rerum,
Quæ ſine laude latent, quæ ſine labe patent;
Artium & omnigenûm genitrix altrixq́; bonarum,
Et Suadæ, & Sophiæ lima laborq́; Deæ;
Et Regum monitrix, & Legum Diva creatrix,
Divaq́; frænatrix, & procerum & populi;
Publica privatis ſecernens, ſacra prophanis,
Et pacem & bellum temperat Hiſtoria.
FELIX qui potis eſt hanc rectè ſcribere: felix
Quiſquis & hanc rectâ cum ratione legit.

Epigramma ejuſdem

Ad IOH. IONSTONVM

De Inſcriptionibus Regum.

QVI pote tam brevibus tot tanta intexere chartis?
Ortum, obitum, & vitas Principum & acta omnium,
Scotorum primâ repetens ab origine Regnum,
A FERGVSI abitu inde ad FRIDERICI aditum,
Es BVCHANANI omnẽ hiſtoriam complexus: Et omnia
Vel Buchananæis vincta ligas numeris.
Quem redivivum agis hiſtoricum, quantumq́; Poëtam!
Ipſe Poëta viges tantus & hiſtoricus.

IN CLA-

IN CLARISS. VIRI
D. Ioh. Ionstonij.

Regias Inscriptiones.

Σκωτιαδῶν βασιλεῖς, Επιγράμμασιν, Ἄρεος ὄζους
Αἰδεῖ Ἰοστοῦνος, ἐν βραχεῖ, ἀλλὰ σαφῶς.
Μνημοσύνην τάξις τρανεῖγε μιγεῖσα λόγοιο
Τίκτει ἀναγνώστῃ, εὐφροσύνης τε βάθος.

Qui Scotis primâ fuerint ab origine Reges,
Vnde domo, quales, queis abiêre modis,
Ionstonus breviter, liquido tamen ordine narrat,
Certâ animum ut memorem commoditate juvet;
Nec non attentas dulcedinis impleat aures,
Attica vel qualem pensicularit apis.

Hadr. Damman,
à Bystervelt.

IN SYNOPSIN
Historiæ Regum Scotiæ, a primus Regni fundamentis perpetuâ serie ad hæc tempora carmine descriptam a D. Ioh. Ionstono.

I.

Dum patriam IONSTONE *cupis celebrare vetustam;*
In patriam an pecces, hac ratione vide?
Forte reus fias. Patriæ nam extendere fines,
Hoc faciat civis, qui bonus esse velit.
Tu contrà minuis: breviori ut limite clausa
Hoc uno lateat Scotia tota libro.
Non ergo hîc peccas? Sed pro te dicere fas est,
Iudicioq; operam sistere iure tuam.
Historiam ut patriam memoras; atavosq; retexis,
Scotica queis olim sceptra tenere datum:
Hîc patriæ fines studio meliore propagas,
Orbi ut iuncta tuo terra Britanna stylo.
Spargit enim sese gentes diffusa per omnes,
Et toto per te clarior orbe nitet.

II.

Quàm benè tu Regum mores, habitusq;, genusq;,
Et sua cuiq; seris fata, vel auspicia?
Hîc typus, hîc vitæ pulcherrima fulget imago;
Magnus Apellæo hoc pollice surgit honos.
Perge Tibi, & patriis lucem simul addere rebus.
Sic Patriæ faveas, nec minus illa Tibi.

Thomas Cargillus.

REX *Macetûm fingi a Lysippo, pingi ab Apelle*
Se voluit, vetuit Charileo ore cani:
Et fortunatum idcirco celebravit Achillem,
Præconem quòd te nactus, Homere, foret.
At modò Scotorum series longissima Regum,
Id, IONSTONE, *tuâ vnius adepta manu est.*
Scilicet ista manus, signum hoc spirantius omni
Marmore Lysippi finxit & exhibuit.
Sic, quod numquam ausi in vita sperare, potitos
Voto Pellæo post obitum arte tuâ,
Ecce Caledoniæ sublimes posthuma Reges
Alite Mæonii Carminis aura vehit.

IOH. Eclinus.

GATHE-

GATHELVS,

Sive de Gentis origine fragmentum.

And. Melvini.

FAMA est Cecropiden pubenti in flore juventæ
Confisum validaq; manu primaq; juventâ
Et Macetum populatum oras, & Achaica rura.
Cumq; omnis foret impatiens moniti, atq; parentis,
Omine converso peregrina ad vota Gathelum,
Ausum aptare trabes, validisq; incumbere remis
Finibus egressum patriis: Pharia arma sequutum
Æthiopum vexasse acies, Meroenq; superbam
Debellasse manu: Et Regis meruisse Amenophis
Memphitici prolem, quâ non magis altera præstans
Artibus aut animis, vinclo sociare jugali.
Ast illaudati sævas Busiridis aras,
Germanam cujus thalamo sociatus habebat,
Infames cæde Isacidûm vitare volentem,
Turbatumq; novis monstris, monitisq; Deorum
Deseruisse Pharon: tenuisse per æquora cursum
Syrtibus elapsum dubiis, Nomadumq; tyrannis
Infestum, Herculeiq; emensum extrema laboris,
Oceaniq; ingressum imo maria alta profundo,
Audaciq; trabe expertum commercia cæli,
Ausum & vitam undis, & ventis credere vota,
Iactatumq; diu, variisq; erroribus actum
Hesperium latè littus lustrasse carinâ:
Amnis & ad ripam Mundæ nova mœnia terris
Imposuisse novis: Brac haram cognomine dicunt
„Scriptores. Sed longa valet mutare vetustas
„Res interdum ipsas, & sæpe vocabula rerum.
Haud procul amne, fluit fulvis qui flavus arenis,
Ramentisq; auri nitidis, ditissima tellus
Fonte scatet gemino multium pugnantibus undis.
Alter in abruptum absorbet fons cuncta voratq;:
Alter in apricum se eructans respuit omnia.
Hoc compertum adeo primum pastoribus; inde
In nemore umbroso frondatori ilicis altæ.
Nec quadrupes non ulla suo subducta periclo
Tentamenta dedit, tetigit simul ungula Lymphas,

Sæpe Gathelus & huc se matutinus agebat;
Lymphæ utriusque vices multum, cælique, soliq́;
Naturam & Genium demirans: Scotaq́; conjux,
Cum sæpe illimi facie spectaret in undâ,
Sæpe lavans niveasq́; manus, niveósq́; pedes, &
Sæpe sitim nunc hoc nunc illo fonte levaret.
Sic tum Cecropides fertur secum ore locutus:
Natura omnipotens, tot tantorum una creatrix
Diversorum operum, da pulcram ex conjuge prolem:
Da genus, & mansuram urbem: nec plura loquutus;
Cùm vox fonte sacro, & vicino reddita luco est.
Cecropida Scotæ thalamo dignate superbo:
En geminos fontes tellus creat alma, nec unus
Amborum est Genius. Gravidæ tibi coniugis alvus
Mox pariet geminos, verùm haud unâ indole fratres.
Clarus uterq́; geret regali fronte coronam:
Vi major, virtute minor; fraude ille, fide hic.
Ille triumphales maculabit sanguine lauros,
Atq; cruentatis insurget in æthera terris.
Hic Phœbi lauru & foliis pacalis olivæ,
Atq; umbrata geret civili tempora quercu.
Oscula tellurí libans prono ore Gathelus
Respondet. Quodcunq; geris de numine nomen,
Sive sacros Nais fontes, seu Nympha recessus
Sylvarum virides colis, & nemora avia lustras,
Sive loci genius terræq́; feracis alumnus,
Seu cælo alipotens delapsum es numen ab alto;
Quod spondes, præsta augurium; atq; hæc omina firma.
Dixit & uxori lætus sua gaudia miscet:
Spemq́; datam sobolis præsenti pignore firmat.
Ad majora tamen fatis ducentibus, ajunt,
Expulsum indigenarum odiis, aut fata sequentem
Sponte sua tumidas Neptuni iviſſe per undas
Horriferum contra Borean, interq́; Trileucen,
Cantabricumq́; sinum, quem pone Galetica tellus;
Ipsa Gathelitia est de nomine dicta Gatheli.
Vnde Gatheletum, & curtatâ voce Galetum:
Vnde Caletum urbem, & populos dixere Caletes:
Perpetuæ hinc atq; hinc diverso in cardine terræ;
Quam mediam incingunt strictæ juga celsa Pyrenæ, &
In duo regna vetus dirimunt con finia regnum;

Quod tenuere diu Reges de ſtirpe Gathéli;
More Gatheli omnes & cultu jugiter omni:
Atq; arte, atq; armis, & linguâ, & legibus uſi.
Huc memorant tandem ſubductâ claſſe Gathelum
Sedibus optaris extremo in limite mundi
Occidui hîc poſuiſſe lares, urbemq; Brigantum,
Atq; Brigantinas arces immania templa,
Nunc ubi Barbarico ritu ſacriſq; profanis
Oſſe aſinino orbis ſtolidè Romanus adorat
Nobilitato urbis cognomine Compoſtellæ.
Hîc primum Auguſtos titulos & Regia jura,
Marmoreâ exceptus cathedrâ in fatalibus arvis,
Cæteraq; à populo delati inſignia Regni,
Et gemmis ſtellatum enſem, ſceptrumq;, coronamq;,
Accipit, & Scotam uxoris de nomine gentem
Dicit, & æternos aris inſtaurat honores.
Tum belli paciſq; artes, tum tradere leges
Dicere jus populo, & patribus dare jura vocatis
Pergit: Et æquatas rerum molitur habenas.
Nec minus exiſtit Scotâ de conjuge felix
Prole pater. Nam regnat Iber jam grandior ævo:
Et patriâ virtute cluens nitet acer Imecus.
Ille quidem nomenq; ſuum regnumq; paternum
Qua vi, qua virtute parat protendere quantò
Longius, hoc tantò credit manifeſtius aurâ
Se tolli divinâ, alto & ſuccedere cælo.
Hinc tellus clareſcit Iberia, flumen Iberum:
Tranſq; mare hinc crebreſcit Ibernia, nomen Ibernum, &
Quodquod Iberi auctum ingentis de nomine nomen.
Tantus amor famæ & dominandi inſana cupido.
Hic verò quanquam natu minor, haud minor oris
Laude verecundi, & liquidas ſub pectore flammas
Acer alit, ſancteq; ſtudet benè parta tueri.
Nec ſibi, ſed fratri, cariſq; parentibus ambit
Nomen, & illuſtrem ventura in ſecula famam.
Hinc longè fraternum oſtentat Ibernia nomen.
Hinc & maternam oſtentat gens Scotica laudem.
Hinc & lingua patris de nomine clara Gatheli eſt.
Ergo Elatus Iber quem jactat Iberia Regem,
Et cui cedit Ierna animis manſuetus Imecus,
Sunt duo fatales Phariâ de virgine fontes.

Indole

Indole diversâ & ſtudiis pugnantibus, olim
Aurifluo ſtupuit quos non proculamne Gathelus:
Ille Gatheliades virtute & lege paternâ
Defendit partum imperium pacatus Imecus.
Impacatus Iber protendit Iberica regna
Trans Minium, & Mundam, & Bætin, trans flumen Iberum:
Atq; Pyrenæos ſcopulos, atq; æquore Gades
Oceani in vaſto: Calpe qua ſpectat Abilen
Interniq; maris tractum: quâ littora latè
Cæruleas longis ſinuant anfractibus undas.
Et nunc dirus Iber auri ſitibundus, & Orco
Iejunus magis, effræni rapit omnia bello:
Cædibus & vaſtat populos, & regna ruinis
Evertit, ſcelere ante alios immanior omnes.
Heu genus inviſum ditis de matre Megæra!
Quod jam orbem Occiduum dudum & populatur Eoum,
Sanguine Maurorum commiſtus ſanguis Ibero,
Punica Cerbereo faſtu quem dextera tollit:
Et violata ultrô divina humanaq; jura.
Mitis Imecum autem ſequitur clementia cæli
Vbere dives agri: Et cunctarum opulentia rerum,
Atq; greges atq; armenta, adq; hæc paſcua paſſim
Pinguia, ſerpentum ſine morſu & dente luporum
Terra, venenata re & peſte immunis ab omni eſt:
Nec gignit nec fert illatum aliunde venenum:
Flumina ſed lactis, ſed flumina mellis inundat.
Ore Gatheli omnes, quotquot dictata magiſtri
Omnia, quæq; domi patriis audivit Athenis,
Quæq; arcana hauſit ſacris Memphitica byblis:
Quæq; pio didicit Moſis dum pendet ab ore,
Quo duce bellaci meruit decora alta triumpho,
Aſſueti Grajiſq; notis Phariiſve figuris
Excipere, aut menti mandare excepta tenaci,
Cantabriâ ſecum in regnum perduxit Emecus.
Quid memorem Cadmæam arcem, viridemq; Helicona,
Et clarum antiquâ doctrinæ luce Lycæum, &
Ordine tradendæ diſciplinæ Cynoſarges,
Cum Lebratemis, Gephyreis & Tanagræis,
Et Thanais fandi & faciendi magna magiſtris?
Quid Sigam, Cyrramq;, Hermonthida, Deucalodumem,
Vnde Caledoniis Druidum dictamen in oris?

CATA-

CATALOGVS
Regum Scotorum Chronologicus.

1. FERGVSIVS Primus Scotorum Rex regnare cæpit An. ante Christ. 330. pag. 1
2. Feritharis Anno 305. pag. 2
3. Mainus Anno 291. pag. 2
4. Dornadilla an. 262. pag. 3
5. Nothatus an. 233. pag. 4
6. Reutherus an. 213. pag. 4
7. Rheuda an. 187. pag. 5
8. Thereus an. 173. pag. 5
9. Iosina an. 161. pag. 6
10. Fimanus an. 137. pag. 6
11. Durstius an. 107. pag. 7
12. Evenus 1. an. 98. pag. 7
13. Gillus Nothus an. 79. pag. 8
14. Evenus 2. an. 77. pag. 8
15. Ederus an. 60. pag. 9
16. Evenus 3. an. 12. pag. 9
17. METELLANVS quo regnante nascitur Christ. Servator Mũdi. Regnare cœpit ante Christ. Anno 4. —— pag. 10
18. Caratacus An. Christi 35. pa. 10
19. Corbredus 1. an. 55. pag. 11
20. Dardanus an. 72. pag. 11
21. Corbredus 2. an. 76. pag. 12
22. Luctacus an. 110. pag. 12
23. Mogaldus an. 113. pag. 13
24. Conarus an. 149. pag. 13
25. Ethodius an. 163. pag. 14
26. Satrael an. 195. pag. 14
27. DONALDVS 1. Christianus Rex primus, An. 199. pag. 15
28. Ethodius 2. an. 219. pag. 15
29. Athirco an. 231. pag. 16
30. Nathalocus an 242. pag. 16
31. Findochus an. 253. pag. 17
32. Donaldus 2. an 262. pag. 17
33. Donaldus 3. an. 265. pag. 18
34. Crathilinthus an 277. pag. 18
35. Fincormachus an. 301. pag. 19
36. Romachus an. 348. pag. 19
37. Angusianus an. 351. pag. 20
38. Fethelmachus an. 354. pag. 20
39. Eugenius 1. an. 357. pag. 21
40. FERGVSIVS 2. an. 404. pag. 21
41. Eugenius 2. an. 420. pag. 22
42. Dongardus an. 451. pag. 22
43. Constantinus 1. an. 457. pag. 23
44. Congallus 1. an. 479. pag. 23
45. Goranus an. 501. pag. 24
46. Eugenius 3. an. 535. pag. 24
47. Congallus 2. an. 558. pag. 25
48. Kinnatellus an. 569. pag. 25
49. Aidanus an. 570. pag. 26
50. Kennethus 1. an. 605. pag. 26
51. Eugenius 4. an. 606. pag. 27
52. Ferchardus 1. an. 621. pag. 27
53. Donaldus 4. an. 632. pag. 28
54. Ferchardus 2. an. 646. pag. 28
55. Malduinus an. 664. pag. 29
56. Eugenius 5. an. 684. pag. 29
57. Eugenius 6. an. 688. pag. 30
58. Amberkelethus an. 697. pag. 30
59. Eugenius 7. an. 699. pag 31
60. Mordacus an. 715. pag. 31
61. Etfinus an. 730. pag. 32
62. Eugenius 8. an 761. pag. 32
63. Fergusius 3. an. 764. pag. 33
64. Solvatius an. 767. pag. 33
65. Achaius an. 787. pag. 34
66. Congallus 3. an. 819. pag. 34
67. Dongallus an. 824. pag. 35
68. Alpinus an. 831. pag. 35
69. KEN-

Jonston, J.

69. KENNETHVS 2. Anno 834.
— — — pag.36
70. Donaldus 5. an. 854. pag.36
71. Constantinus 2. an. 859 pag 37
72. Ethus an. 874. pag.37
73. Gregorius an. 876. pag.38
74. Donaldus 6. an 893. pag.38
75. Constantinus 3. an. 904. pag.39
76. Milcolumbus 1. an. 943. pag.39
77. Indulfus an. 952. pag.40
78. Duffus an. 961. pag.40
79. Culenus an. 966. pag.41
80. Kennethus 3. an. 970. pag.41
81. Constantinus 4. an 994. pag.42
82. Grimus an. 996. pag.42
83. Milcolumbus 2. an. 1004. pa.43
84. Duncanus 1. an. 1034. pag.43
85. Macbethus an. 1040. pag.44
86. MILCOLVMBVS 3. an. 1057.
— — — pag.44
87. Donaldus Banus an. 1093. pa.45
88. Duncanus 2. an. 1094. pag.46
89. Edgarus an. 1098. pag.46
90. Alexander 1. an. 1107. pag.47
91. David an. 1124. pag.48
92. Milcolumbus 4. an. 1153. pa.48
93. Guilielmus an. 1165. pag.49
94. Alexander 2. an. 1214. pag.50
95. Alexander 3. an. 1249. pag.50
96. Iohan Balliolus an. 1293. pa.51
97. Robertus Bruff. an. 1306. pa.52
98. David Bruff. an. 1330. pag.52
99. Eduardus Ballio. an. 1332. pa.53
100. Rob. Stuartus. an. 1371. pa.54
101. Robertus 3. an. 1340. pag.54
102. Iacobus 1. An. 1424. pag.55
103. Iacobus 11. An. 1437. pag.56
104. Iacobus 111. An. 1460. pag.56
105. Iacobus 1v. An. 1489. pag.57
106. Iacobus v. An. 1414. pag.58
Maria Regina An. 1543. pag.58
107. IACOBVS VI. Anno 1567.
— — pag.59
Henricus Fridericus Princeps nascitur Anno 1594. pag.60.

INSCRIP-

Serenissimo ac potentiss. IACOBO sexto. Scotorum Regi.

Hactenus invicti post tot vaga sæcula Reges
Fulsistis Scoto sidera clara polo,
Exoritur rutilo post vos Iacobus honore,
Et novus Eois Lucifer exit aquis.
Non temere post tot cedentia fidera surgit.
Perpetuum Scotis nunciat ille diem.

Iosephi Scaliger.
Inl. C. fil fecit.

Iani Dousæ Nordovici Domini Trochæi

IN SERENISS. REGVM SCOTIÆ IACOBVM SEXTVM.

Vatis oraclum hocce casci, nescio quis cynthius
Carminum par Dousianis insusurrat auribus.
CONSVLES FIVNT QVOTANNIS ET NOVI PROCONSVLES;
SOLVS AVT REX AVT POETA NON QVOTANNIS NASCITVR.
Sors rata est hæc: quid stupesis? infrequentia hoc facit
Nam quid? vsu comparatum sic videmus, vix vti
Vnicum aut regem, aut *Poëtam* singulæ ætates ferant.
At quoti extitêre *Reges*, quêis vtiunque contigit?
Hactenus quidem, priusquam SCOTIÆ Arbiter datus,
SEXTVS hic princeps IACOBVS lucis auras jmbuit
Cûi tot inter orbis vni Christiani vindices
Non minus VATI esse, quam REGI annuêre cælites,
REGIS exemplo sacrati, qui SIONI jus dedit;
SCEPTRI onus pijs süeti subleuare cantibus
MACTE: sic ad sydera itur, petitur hac cœlum via.

In Seremissimos Scotiæ Reges.

C.V. IOHANNIS IONSTONI.

Belliger adversis *Scote* insuperabilis armis
In tituloſque tuos, ptiſcaque ſacra veni.
Ite *Calædonii* fortiſſima pectora Divi;
Accipias Reges Martia turba tuos,
Sexte fave: Felix operis *Ionſtone* futiri:
Iam tibi regales porriget ille manus.
Nomine qui Sextus, qui primus carmine, regno
Participes noſtras juſſit adeſſe Deas.
Sæpius (hoc Divi pariter quis vidit?) in una
Et calamus ſimul, & ſceptra fuêre manu.
Sæpe novo cingi vacuos diademate ceines
Sacraque plebs vidit tempore: laurus erat.
Ergo agedum *Reges Regi*, Da carmina *Vati*:
Materies Domino non facit una tuo.
Regibus Aonidas quis ſubtrahet, ille priuſquam
Vix bene *Rex* potuit eſſe, *Poëta* fuit.

Daniel Heinſius.

INSCRIPTIONES HISTORICAE REGVM SCOTORVM

Auctore

IOHANNE IONSTONO.

FERGVSIVS PRIMVS SCOTORVM REX.

Anno Mundi 3641. Ante Christum 330. Olympiad. 112. Vrbis Romæ, 421.

I.

REGALI de stirpe satus, patriaq;, domoq;
SCOTORVM, primus Martia sceptra adiit.
Quæ legum stabilit justo moderamine, & armis;
Idem armis, animis, consiliisq; potens.
Fedære conciliat Pictos. Belloq; minaces
Brittonas invicto robore fundit agens.
Auspiciis felix, meritis illustribus aucta
Transcribit generi sceptra tenenda suo.
Tollere quem neq; fraus potuit, neq; Martius ensis,
Obruit Hibernis Ennosigæus aquis.

Fergusius Hibernensium Scotorum Regis Filius, belli pacisque artibus clarus.

Naufragio interiit ad rupem Fergusii: id enim nomē postea loco fuit.

II.

IVSTITIA atq; ARMIS Regum stant regna, decusq;.
Iustitiâ pacem, viribus arma gero.
Cælestes animæ, vos postera secla nepotum,
O precor, auspiciis sceptra tenete meis!

A IERI.

FERITHARIS REX II.

Anno Mundi 3666. Ante Christ. 305.
à conditu Regni Scot. 26.

I.

VIRTVTVM, ingeniiq; FERITHARIS indole, & armis,
FERGVSVM referens, publica damna levat.
Postquam cura datur Regni, & tutela * nepotum;
Publica dat patrii, privaq; signa animi.
Imperium tenuit justa cum pace quietum,
Sacra colens sanctè fœdera amicitiæ.
Si quid in innocuum livor tentârat, id omne
In caput auctorum, perniciemq; fuit.
VIRTVTI livor frustra obstrepit. ARDVA Virtus
Hoc magis emergit, quò magis opprimitur.

* Ferlegi & Maini, qui ex fratre Fergusio nepotes.

II.

NON sors cæca dedit fasces: præluxit avorum
Gloria; nec generi nos sumus indecores.
Cum fratrem laudas, & me laudare necesse est,
Fratris & imperium, sors, Geniusq; mihi.

MAINVS REX III.

Anno Mundi 3680. Ante Christ. 291.
à conditu Regni 41.

I.

SCEPTRIGERÆ gentis flos delibatus, & ingens
Spes rerum, humani delicium generis.
Quam dispar fratri! properè quem noxius error
Exuit & sceptris, & dedit exitio.

At da-

At datus hic Regno fatis melioribus, æquum
Iuſq; colens, dictat civibus æqua ſuis.
Alma SALVS, plenoq; comes Bona COPIA cornu,
Et venit auratum PAX redimita caput.
Aurea credideris quondam regnata Latino
Secula, & antiquos iam rediiſſe Deos.

II.

Me duce ab integro ſeclorum maximus ordo
Naſcitur, & revehunt tempora priſca Dii.
Hoc Divûm munus felicia ſecula regnis
Adiicere. Est aliquid ſpernere nolle Deos.

II.
DORNADILLA REX. IV.

Anno Mundi 3709. Ante Chriſt. 262.
à conditu Regni 70.

I.

PACIS amans, regnum tranquillâ pace beatum,
Et populum patriâ Relligione regit.
Non litui, non æra crepant, non bella rapinis
Miſta vel inſidiis: Omnia pacis erant.
Rex phare rã, atq; arcu incinctus venatibus inſtat,
Aut cervum ferit, aut curſibus urget aprum:
Aut monumenta locat Triviæ, * legeſve perennat;
Quæ priſcis Scotis nunc in honore vigent.
Sylvanos, Satyroſq; olim Faunoſq; vetuſtas
Talibus his ſtudiis credidit eſſe Deos.

* Leges venaticas fecit, quæ etiam nunc in uſu apud priſcos Scotos.

II.

IMPERIVM felix, pax regni, innoxia ſceptra,
Vitaq;, ſunt ſceptris hæc potiora meis.
Fœda voluptatum fugio commercia. Luxus
Mi labor: hôc priſcis anteferarq; Diis.

NOTHATVS REX. V.

Anno Mundi 3738. Ante Christ. 233.
à conditu Regni 98.

I.

AMBITIONE potens, primaq; tyrannide notus,
Qui jura insano sub pede cuncta premit.
Perfidus in sese transfert jus omne nepotum,
Inq; bonos cives fœda, nefanda patrat.
Imminet exitio procerum, efflictimq; fatigans
Exsulio multat, carcere, morte, bonis.
STARE diu nequeunt fastosi jura tyranni.
Vindice tu ferro dire Tyranne cadis.

II.

PERFIDVS imperium rapui. Me dira tyrannis
Perdidit. Infamis vitaq; morsq; mea.

REVTHERVS REX. VI.

Anno Mundi 3758. Ante Christ. 213.
à conditu Regni 118.

I.

INCAVTVM juvenem confestim in limine regni
Factio præcipitem seditiosa tulit.
Et penè abreptum belli civilibus undis
Merserat. ô quantum sanguinis inde datum!
Dum latet obscurus bis senos exsul in annos,
Hostibus in prædam patria rursus abit.
Post armis coiere novis in Brittona Scoti
Et Picti: ast armis pax potiora dedit.

II.

AH fugite ô pestem! nocuit dementia præceps.
Hinc ego Fortunæ ludus, & aura fui.

RHEVDA REX. VII.

Anno Mundi 3784. Ante Christ. 187.
à conditu Regni 144.

I.

FORTIA facta Ducum celebrat. Fœdata ruinis
Instaurat. Scelerum terror, & ultor adest.
Et sua virtuti stant præmia. Bella pecosus
Otia securæ dulcia pacis amat.
Otia néve isthæc in publica commoda peccent,
* Artibus innocuis patriæ adauctat opes.
Sic bene compositos fasces, & sceptra nepoti
Reddit, seq; volens abdicat imperio.

* Opifices varii generis accersit.

II.

INCORVPTA fides sceptris, & sancta nepotis
Cura, ipsis similem me facit esse Diis.

THEREVS REX. IIX.

Anno Mundi 3789. Ante Christ. 171.
à conditu Regni 158.

I.

THEREVS ingenii varii malè callidus artes
Dissimulans, spondet prospera regna suis.
Protinus at laxas vitiorum admittit habenas,
Atq; amens animi per scelus omne ruit.
Hinc procerum cædes, injuria, furta, rapinæ,
Plebis & afflictæ dilacerantur opes.
Exhorrens scelerum pœnas fit pœna sibi-ipsi
Exsul, inops, miseros finiit ergo dies.

II.

FRVSTRA ego dissimulo. Quanta est insania morbi,
Artibus innocuos perdere meq; meis?

IOSINA REX IX.

Anno Mundi 3810. Ante Christ. 161.
à conditu Regni 170.

I.

PROFVIT exilium patris tibi: tempore in illo
Pœonias artes noscere culta fuit:
Munera culta Diis; multos mortalium in usus
Commoda. Tu prisci non minor ergo Dijs.
Ambitio hinc multis medicas sectarier artes,
Regis & exemplum posteris secla probant.
Cetera tu felix: tibi res tantum obfuit una:
Fortia gesta animi nox tenebrosa tegit.

Chirurgia & rei Herbariæ scientia inter priscos Scotos ad hanc diem culta.

II.

QVAM benè conveniunt sceptris bona munera Phœbi?
Plenus ego Phœbi numine sceptra gero.

FINNANVS REX X.

Anno Mundi 3834. Ante Christ. 137.
à conditu Regni 194.

I.

ARMA silent, regnoq; procul fera pulsa tyrannis.
Oppida, rura, domos occupat alta quies.
Neve iterum invadat reges & regna tyrannis,
(Regibus & regnis exitiosa lues:)
Lex data perpetuùm, non unius ulla potestas
Cuncta regat; ne fors pondere pressa suo
Corruat; at firmis meliùs connixa columnis
Stet procerum auxilio, consilioq; pari.

II.

LEGIBVS, exemploq; meo sceleresa tyrannis
Exsulat, & justo jus datur imperio.

DVRSTIVS REX XI.

Anno Mundi 3864. Ante Christ. 107.
à condito Regni 224.

I.

FAX procerum & populi, dirâ feritate Tyrannus
DVRSTIVS, imperii pestis & exitium.
Subdola mens, & dextra ferox; mentemq;, manumq;
Improbus, in luxum diffluit & Venerem:
Atq; Thyesteas incesto funere mensas
Polluit, incautos datq; neci proceres.
Protinus infandum patriæ est communibus armis
Vlta nefas. SCELERI debita pœna venit.

II.

ILLE Thyesteâ celebris sum cæde Tyrannus.
O magè sim felix, simq; minus celebris!

EVENVS I. REX. XII.

Anno Mundi 3873. Ante Christ. 98.
à condito Regni 233.

I.

PROTINVS assensu magno post fata Tyranni
Sceptra subit; plebes dant procereſq; fidem.
Qui scelerum pestes, vitiorum & lenta venena
Sustulit, exemplo, legibus, arte, fide.
Legibus & pœnas, & vincla minacia pœnis
Addidit. Innocuis portus & aura fuit.
Nec minus est belli studiis inlustris & armis.
PICTVS opem, BRITTO sensit & arma procax.

II.

SCEPTRA fides dederat. Decorant virtusq;, fideſq;,
Sceptra mea. In sontes jura severa dedi.

GILLVS

Jonston, J.

GILLVS NOTHVS, REX XIII.

Anno Mundi 3892. Ante Christ. 79.
à conditu Regni 252.

I.

PRÆDO rapax nihil intactum, nil linquit inausum;
Quam malè sceptra parit, tam malè parta gerit.
Sævit in innocuos regali è stirpe propinquos,
Sceptrigerûmq; genus dat furus omne neci.
Non tulit immensam hanc rabiem pia patria. Ferro
Vltum iit infandum Crimen. At ille fugit.
Approperans meritas ultrix Rhamnusia pœnas
Exigit. Hostili perditus ense cadit.

II.

CVNCTA ego fors potui: sed quid potuisse juvabit?
Non potui meritis non periisse meis.

EVENVS II. REX XIV.

Anno Mundi 3894. Ante Christ. 77.
à conditu Regni 254.

I.

MOTIBVS *Æbudas ac seditione frementes
Impiger arte, manu, consilioq; premit.
Orcadas, infuso numeroso milite fines
Dum vastant, miseros & populantur agros,
Reppulit; inq; fugam trepidos dare terga coegit:
Et duce de BELO clara tropæa tulit.
Hoc DECVS heroum, non uni insistere palmæ;
FAMA sed assiduo parta labore venit.

* Æbudæ Occidentales Insulæ sub Scotorum imperio: Plinio Æbudæ & Æmodæ dicuntur. Mela Hemodas vocat: Recentiores Hebridas, novo nomine & veteribus ignoto.

II.

REGNVM adii intrepidus magno trepidante tumultu;
Rebus & adversis fortiter asserui.

EDE.

EDERVS REX XV.

Anno Mundi 3911. Ante Christ. 60.
à conditu Regni 271.

I.

Post varias clades, per mille pericula rerum
Servatus Divûm numine sceptra tenet.
Et veteres proavos, venturaq́; nomina Regum
Suscitat; & bello, consilioq́; bonus.
Agmina ab Æ budis iterum minitantia Regno,
Vt venit, utq́; videt, sternît, agit, cohibet.
Macte animis HEROS, genus haud mentite superbum!
Hæc genus antiquum Martia facta probant.

II.

QVIDNAM hoc & quantum, VENI, VIDI, omnia VICI?
Idem mutato nomine Cæsar ego.

EVENVS III. REX. XVI.

Anno Mundi 3959. Ante Christ. 12.
à conditu Regni 319.

I.

PRIMVS in innocuos mores Sybaritica regna
Invehit, & Veneri sacra profana litat.
Non tibi sufficiunt centum Sybarita? nefandâ
Lege etiam impurum vin' stabilire nefas?
Prodiga luxuries, sequiturq́; licentia rerum,
Nex procerum, passim furta, & ubiq́; scelus.
Stare diu nequiit tam fœdis moribus. Vltrix
Pœna subit. RARO vindice culpa vacat.

II.

DEDECVS imperii, priscæq́; infamia gentis;
Quem prisca & pariter postera secla notant.

Jonston, J.

METELLANVS REX XVII.

Anno Mundi 3966. Ante Christ. 4.
à conditu Regni 326.

I.

HIC patriæ studet attritæ sarcire ruinas,
Membraq́; in antiquum lapsa referre gradum.
O felix animi juvenis, prosperq́; laborum!
Res tantum fatis obfuit una tuis.
Monstra voluptatum, legesq́; abolere nefandas
Non poteras, lentâ quæ invaluere morâ.
PRINCIPIO vitiis obsta: nam temporis auctu
Illa magis crescunt viribus aucta novis.

II.

ANNO Mundi 3970. regnante
METELLANO Christus Servator nascitur.

Eteostichon.

DVM regno, æthereI ChrIstVs reX VerVs oLyMpI
nasCItVr: eXVLtant terra, poLVsqVe sIMVL.

CARATACVS REX XIIX.

Anno Mundi 4005. An. Christ. 35.
à conditu Regni 365.

I.

INDOLE virtutis non inferiora sequutus,
Regificum meritis se probat esse genus.
Scilicet * Æbudæ validis se armare catervis,
Et circum effusæ cuncta agere, rapere.
Aſt ubi in horrisonis contrà sese intulit armis
CARATACVS, victæ procubuere metu.
Quòd si te vero * Tacitus cognomine narrat,
Nemo in Romanâ est clarior historjâ.

* Vide supra Pagina 8.

* Vide Tacitum lib. 12. Et apud H. Boëtium prolixã historiam lib. 3. Fol. 50.

II.

ET genere, & meritis; & stat mihi gloria in armis.
Virtuti cedunt horrida tela meæ.

CORBRE-

CORBREDVS I. REX XIX.

Anno Mundi 4025. An. Christ. 55.
à conditu Regni 385.

I.

IRREQVIETA, ferox, studio gensq; aspera belli,
Mota per Æbudas rursus ad arma vocat.
At vaga CORBREDVS compescuit arma furentum:
Et patriæ pacem, & jura verenda dedit.
* Hic quoq; Romanos aggressus fortibus armis
Dicitur, & clarum Marte tulisse decus.
IVSTITIÆ vindex, & amans patriæ, hostibus horror:
Quemq; patres inter jure feras patriæ.

* Vide Boëtiũ lib. 4. fol. 53.

II.

IVSTITIÆ, pacis, patriæ, & virtutis amore
Inclytus. Haud ulli Marte secundus eram.

DARDANVS cognomento Crassus REX XX.

Anno Mundi 4042. An. Christ. 72.
à conditu Regni 402.

I.

PRINCIPIO ingenium simulans quinquenne Neronis,
Maxima virtutis signa, fidemq; dabat.
Protinus in vitium præceps ruit omne, nefasq;,
Immemor & generis, nec memor ipse sui.
Mactatu procerum, atq; immani cæde suorum
Sceptra sibi, & generi rem stabilire parat.
A tergo insequitur Nemesis: Sibi perditus instat,
Dum capitur. Captus dura & acerba luit.

II.

IPSE ego tot scelerum vindex volui esse meorum.
Plectite. Cur fugio, quod fugere haud potui?

CORBREDVS II. cognomento Galdus. REX XXI.

Anno Mundi 4046. An. Christ. 76.
à conditu Regni 406.

I.

MARTE gravis validè Ausonidûm legionibus instat,
Et penè in castris hostica signa capit.
Ancipitiq; diu pugnatur Marte. Resumtis
Viribus instaurant prælia utrinq; truces.
At pulsos hostes sociorum viribus auctus
Exigit, & patriam vindicat interitu.
Pacat & Æbudas: jus, fas, dictatq;, facitq;:
Nemo armis major, consiliisve prior.

II.

VICTRICES Aquilæ atq; acies, quas maximus orbis
Obstupuit, vires obstupuere meas.

LVCTACVS REX XXII.

Anno Mundi 4080. An. Christ. 110.
à conditu Regni 440.

I.

DEGENER à proavis, patriisq; a moribus, omne
Ius, fas, Naturæ, Numinis, & Patriæ
Projicit; incestus, sceleratus prædo, tyrannus,
Sævitia exardens, plenus avaritiæ.
Quæq; patris nuper multo sunt parta labore
Otia, stant patriæ, stant procerum exitio.
Auctorem & scelerum socios mors vindicat ultrix.
DISPEREVNT meritâ talia monstra nece.

II.

NATVRAM, Patriam despexi & Numinis iras:
Vltio pro cunctis reddita acerba mihi est.

MOGAL.

MOGALDVS REX XXIII.

Anno Mundi 4083. An. Christ 113.
à conditu Regni 443.

I.

NVPERA quos vitiis mores fœdaverat ætas,
Restituit, belli quæq; ruina dedit.
Romanas, sociasq; acies ingentibus ausis
Frangit; seu solus, seu socia arma præit.
* Perpetuas fossas valli cum mœnibus, armis
Scotorum invictis Romulidæ objiciunt.
ROMA orbis domitrix armis tibi cesserit. Ast te
Victorem (pudor ô) vicit avarities.

* Adrianus Imp. vallum per 80. millia passuum duxit, cujus Ælius Spartian⁹ & Herodian⁹ emminerunt. Vestigia adhuc aliquot in locis visuntur.

II.

ROMA securigeris prætendit mœnia Scotis:
Nempe ego Romulidas posse pavere dedi.

CONARVS REX. XXIV.

Anno Mundi 4119. An. Christ. 149.
à conditu Regni 479.

I.

OBIICIBVS ruptis murorum, atq; agmine facto
Concutit ingenti Romula castra metu.
Bello invicta manus. Sed tetra licentia laudem
Obterit, innumeris concomitata malis.
Hinc miser exuitur sceptris, ac carcere cæco
Clauditur. ARGADVS rem gerit imperii.
LVXVRIES, vitiisq; comes male-fida Tyrannis,
Et Regna, & Reges deprimit exitio.

II.

SAXA per & mortes propero: nil viribus obstat.
Felix si possem victor & esse mei!

Jonston, J.

ETHODIVS REX XXV.

Anno Mundi 4133. An. Christ 163.
à conditu Regni 493.

I.

BELLA per Æbudas grassantia sæpius armis
Dissipat, ARGADI nobilis auspiciis.
Postquam sæva virum tulerunt hunc fata, periclis
Ipse suum objecit, Marte furente, caput.
Per loca senta situ penetrat, perq; invia montium,
Et conjuratos cogit acerba pati.
Iam ritè imperitat populis sua jura secutis;
IVSTITIA insignis, maximus imperio.

II.

ROBORA seu dextræ, seu candida pectora, regis
Effigiémve boni, fortè requiris? eram.

SATRAEL REX. XXVI.

Anno Mundi 4165. An. Christ. 195.
à conditu Regni 525.

I.

CALLIDVS ingenii, nimium cupiduſq; tueri
Sceptra sibi, & generi perpetuare suo,
In se odia accendit demens, populiq;, patrumq;,
Fortunæ fluxâ non bene fultus ope.
Discordes inter vario certamine motus,
Orba duce imperii res labefacta jacet.
Sors brevis imperii steterat. Neq; enim stetit umquam,
Fortunæ instabilis qui stetit arbitrio.

II.

IMPERIVM sine fine mihi dum quæro, meisq;,
Imperii fines finiit atra dies.

DONAL-

DONALDVS I. CHRISTIANVS

Rex primus, REX XXVII.

Anno Mundi 4169. An. Christ. 199.
à conditu Regni 529.

I.

FELIX ante alios, gemino præcinctus honore
Imperii, CHRISTO militat & patriæ.
Restituit belli & pacis bona munera, mores
Format, & augustum stat decus imperio.
Dum contrà innumeras acies atq; arma SEVERVS
Ducit, huic bellum cuncta elementa gerunt.
Pax coit. Ille abiens prætendit * mœnia Scotis:
Nuncq; etiam gestant nomina clara Ducis.

* Vallum Severi, cujus vestigia manifesta hodie visuntur. Accolæ Græmi vallum vocãt. Vide Bedam lib. 1. cap. 1. & 5.

II.

ANNO Mundi 4169. regnante
DONALDO Scotia Christianismum amplexa.

Eteostichon.

eXere Lœta CapVt feLIX nVnC sCotIa, tanto &
reX MVLtVM feLIX MVnere faCte DeI.

AN. Christi 199.

LVX Vera en VenIens nobIs aLLVXIt IesVs.

ETHODIVS II. REX XXIIX.

Anno Mundi 4186. An. Christ. 216.
à conditu Regni 546.

I.

CORPVS erat tantum (ut perhibent) sine pectore, magni
Dissimilis patris, degenerisq; animi.
Quiq; regi melior fors, quàm regere imperio rem:
Nec tamen absistit poscere avarus opes.
Alta sed ignavo veniunt sub principe pacis
Otia: quæ Procerum provida cura dedit.
QVI volet imperium rectè moderarier, illum

Stare

Jonston, J.

Stare decet. Sic stans Vespasianus obit.

II.

SORS non æqua mihi, fateor, me despicit: atqui
Omnia non uni fata dedere viro.

ATHIRCO REX XXIX.

Anno Mundi 4201. An. Christ. 231.
à conditu Regni 561.

I.

ANTE alios omnes quondam pulcerrimus ibat
Formâ, animo, & raris dotibus ingenii.
At velut Eridanum prono rapit impetus alveo:
Sic regni compos sævit atrox vitiis.
Insita quippe animis vitiorum semina, TEMPVS
Atq; MAGISTRATVS, quæ latuêre, aperit.

II.

FLAGITIO famam, & patriam qui perdidit, idem
Perdidit & sese, perditus ense suo.

NATHALOCVS REX XXX.

Anno Mundi 4212. An. Christ. 242.
à conditu Regni 572.

I.

VINDICE quo nuper sperabant sceptra salutem,
Iam sperata cadit spesq;, fideq; viri.
Dum petit & prensat nimium ambitiosus honores,
Imperii leges, jura, fidemq; quatit.
Dum stat, stare nequit, trepidâ formidine pectus
Saucius: ancipites spesq;, metusq; timet.
Dumq; alios petit insidiis vel crimine ficto,
Illusus fatis militis ense cadit.

II.

OMNIA tuta timens paveo, malè parta tueri
Dum cupio. RES est suspiciosa timor.

FIN.

FINDOCHVS REX XXXI.

Anno Mundi 4223. An. Christ. 253.
à conditu Regni 583.

I.

CORPORE rarus honos, animo vis dia refulgens,
Et genus, & magno cetera digna duce,
Imperii meruere decus: quodq; ante dederæ
Fata illi, numquam fata dediſſe piget.
Non ſemel extremos hominum virtute repreſſit,
Cui ſe ſummittunt inſulæ & occiduæ.
Pectore magnanimo virtus invicta reluxit.
Hoſtica vis nequiit tollere, fraus potuit.

II.

PROVIDA Mens mihi ſceptra dedit. Virtute feroces
Perdomui gentes. Fraus necat immeritum.

DONALDVS II. REX XXXII.

Anno Mundi 4234. An. Christ. 264.
à conditu Regni 594.

I.

INVIDA Sors nimium prælato invidit honori,
Atq; brevem vitam mî imperiumq; dedit.
Auſur egô vitam fraternâ in morte paciſci,
In medios hoſtes ſigna tremenda tuli,
Nec numero, nec fretus equis. Tua barbare ſunt hæc:
Hæc pro me causâ ſtat potiore manus.
Marte ſed adverſo non uno vulnere cæſus
Occubo. Laus una hæc ſic cecidiſſe fuit.

II.

CEDO Diis victus, mortali invictus ab hoſte:
NON fas invitis vincere poſſe Diis.

Jonston, J.

DONALDVS III. REX XXXIII.

Anno Mundi 4235. An. Christ. 265.
à conditu Regni 595.

I.

AMBIERAT Regnum infelix, poiturq; cupito:
Nec pudet incestas conscelerare manus.
Nec sat inexpletum diris tot cædibus antè,
Totq; malis miserûm sic saturasse animum,
Ni nova bella serat, ni odiis & crimine sparso
Sæviat. Hinc mala mens, & metus excruciant.
Dum metus, & Furiæ torquent, dum pectore virus
Concoquit, invisum vis inopina rapit.

II.

QVÒ mihi fortuna, & regnum, & victoria, si me
Noctes atq; dies morsq; metusq; agitant?

CRATHILINTHVS I. REX XXXIV.

Anno Mundi 4247. An. Christ. 277.
à conditu Regni 607.

I.

QVI modo sustulerat grassantem cæde Tyrannum,
Tollit & inviси relliquias generis.
Inde fero instaurat deformes Marte ruinas,
Gratasq; jam placitæ munera pacis obit.
Montibus in Grampi sed dum venatibus instat,
Fatali a PICTIS vulnere cæsus obit.
Mutua dehinc clades, sæviq; ingentia belli
Semina. SIC flammas sæpe favilla dedit.

II.

LIBERA jura dedi, totasq; à stirpe Tyranni
Ense genus reseco. Hinc sceptra, decusq; tuli,

FINCORMACHVS REX XXXV.

Anno Mundi 4271. An. Christ. 301.
à conditu Regni 631.

I.

ROMVLIDAS contra, decus & tutamen in armis,
Felix Marte tegit se socioſq; Lares:
Poſtq; fatigatum vario certamine Martem,
Huic morum, & pacis publica cura viget.
Hoſpitio fovet extorres, cùm dira tyrannis
Chriſticolas premeret, Domitiane, tua.
Hinc decus, æternùm manſuraq; nomina gentis
Reſtant, & toto cognitus orbe labor.

II.

ROMANOS pepuli: Noſtros socioſq; Penates
Servavi. Duce me Relligio alma nitet.

ROMACHVS REX XXXVI.

Anno Mundi 4318. An. Christ. 348.
à conditu Regni 678.

I.

ARMIS ſceptra capit (poterat fors jure tuliſſe:)
Seditionem armis, miſcet & arma dolis.
Arma priùs patrui generis fœdata cruore
In patriam vertit perniciemq; ſuam.
Iuſtitiæ oſtentans ſpeciem, ſed percitus æſtu
Irarum, immani ſuſtulit arte Bonos.
FASTVS atrox, nimiumq; calens mala multa miniſtrat
Impetus. Hinc vitam perdit & imperium.

II.

SCEPTRA mihi cum jure cadant, ego malui à barmis,
Atq; injuſta dedi. Nonne ego jure cado?

Jonston, J.

ANGVSIANVS REX XXXVII.

Anno Mundi 4321. An. Christ. 321.
à conditu Regni 681.

I.

QVOD nuper voluit creperis violentior armis,
Pacatis fatis nunc tenet imperium.
Et placidè tenuisse velit, ni certa nocendi
PICTICA gens, ferro & Marte proterva petat.
Prælia obiit, victorq; abiit. Sed & altera bella
Dum renovant PICTI, fortiter occubuit.
Viderat hoc Sortis mens ceu præsaga futuræ, &
Pacem optat. Sed Mars deteriora dedit.

II.

QVAM dubio trepidet Fatum pede, discere quivi
Antè meo exemplo. At quid didicisse juvat?

FETHELMACHVS REX XXXIIX.

Anno Mundi 4324. An. Christ. 354.
à conditu Regni 684.

I.

INLATAS regno clades, & funera regis
Vlturus, ferrum, tela, faceſq;, feros
Rettulit in PICTOS. Mox visos Marte repressit,
Compulit & trepidâ vertere terga fugâ.
Invictum bello, tentat gens perfida fraude
Tollere. Securum tollit abusa dolo.
Pone animum & fastus, nec te jacta amplius armis.
HAVD animi est magni vincere velle dolis.

II.

SI fas, si justum justis depoſcimus armis,
Debuimus fato non meliore mori?

EVGENIVS I. REX XXXIX.

Anno Mundi 4327. An. Christ 357.
à conditu Regni 687.

I.

Coniuratæ acies, Picti, Britto, Itala virtus,
Iisdem omnes animis gentis in exscidium
Dum veniunt, contrâ stat fidentissimus armis
Evgenivs, forti bella cietq; manu.
Terna die subiit sub signis prælia Victor.
Victus ad extremum Marte siniſter obit.
Ah decus ô patriæ cecidisti! heu! funere in uno
Ipsa quoq; infracto robore tota jacet.

Gens tota patriâ pulsa, & regnũ desolatum aliquot annis fuit.

II.

Quod potui, feci. Quis tantis hostibus obstet?
Quis potis imperio Sors superesse tuo?

FERGVSIVS II. Regni secund Conditor. & Instaurator. REX XL.

Anno Mundi 4374. An. Christ. 404.
à conditu Regni 734.

I.

Fata manu gestans patriæ, domitorq; minacis
Fortunæ, antiquum suscitat imperium.
Ignea quid possit virtus, quid vivida bello
Dextera, Mars quoties misit in arma viros,
Novit Arar, Rhodanus, pugnax & Francia, & Audax
Cimber, & armiferi Teutonis ora soli.
Romulidûm stupuere duces, stupuere cohortes,
Et fusi bellis Brittones antè tribus.
Vincere pro patria aut vinci virtute decorum.
Dulci pro patriâ prodigit ergo animam.

Jonston, J.

II.

NVLLI animis, nulliq; ausis, nec Marte secundus:
Nec tibi FERGVSI magne secundus eram.
Cedunt fata tibi: imperii tu maximus auctor.
Invitis fatis conditor alter ego.

EVGENIVS II. REX XLI.

Anno Mundi 4390. An. Christ. 420.
à conditu Regni 750.

I.

SIC belli prudens & pacis temperat artes,
Vt cùm alios superet, certet utroq; sibi.
Iungit opes sociûm, superatoq; aggere * valli,
Brittonas edomitos sub sua jura quatit.
Cumq; graves armis Anglus cum Saxone, Iütus,
Appeterent, forti restitit usq; manu.
Talis in hoste fuit. Mortem fama occulit. Atqui
Nec moritur. Vitam fama superstes alit.

* Quod Severus Imp. olim duxerat.

Iüti populi Germaniæ in Cimbria. Saxones circa hoc tẽpus primum in Britanniam delati.

II.

MARTIS ego comes, & didici fera prælia, feciq;,
Et docui: Et pacis munera doctus obii.

DONGARDVS REX XLII.

Anno Mundi 4421. An. Christ. 451.
à conditu Regni 781.

I.

CONSILIIS, animis, virtute, atq; omnia fratri
Persimilis, belli, & munera pacis amat.
Pace tamen melior: sic tum pacata tulere
Tempora. Sed circum Mors volat atra pede.
Pace resarcit opes: At Relligionis honorem
* PALLADIVS; meritis magnus uterq; suis.
Clara salutiferi lucent miracula verbi
Missa polo. HIS opibus regna beata vigent.

* A quo plurimi imbuti Christianâ doctrina sucreverunt.

II.

Me duce, cùm toto fureret Mars impius orbe,
Pax, pietasq;, virûm & lumina sancta micant.

CONSTANTINVS I. REX XLIII.

Anno Mundi 4427. An. Christ 457.
à conditu Regni 787.

I.

Nec famâ aut factis, nullâ & virtute decorus,
Et decus imperii, perdit & ipse suum.
In proceres ferus exercet crudeliter iras:
Pro patria mollis dextera, lingua procax.
In præceps dum cuncta ruunt non alite faustâ,
Morte quoq; hunc varia fama periisse refert.

II.

Nec moriens morior, nec vivens vivere credor.
Nulla fuit vita; mors sine laude fuit.

CONGALLVS I. REX XLIV.

Anno Mundi 4449. An. Christ. 479.
à conditu Regni 809.

I.

Ingenio sollers & multo providus usu,
Protinus instaurat, quæ labefacta prius.
Nec quisquam potis est recti hunc deflectere calle:
Et constans pulcro pectore robur inest.
Quum vitiis pariter bellum indixisset & hosti,
Excelso invictus robore utrumq; domat.
Exemplo præit ipse aliis. Hæc vivida lex est
Imperii, cùm rex quod jubet, ipse facit.

II.

Consiliis factisq; subest constantia rara.
Quàm rarum hoc, bene tum dicere, tum facere?

GORA-

GORANVS REX. XLV.

Anno Mundi 4471. An. Christ. 501.
à conditu Regni 831.

I.

NOBILIS Arctoæ hic inter felicia gentis
Lumina, ceu medio Sol nitet ipse die.
Iustitiâ, imperiis, & felix robore dextræ,
Iura armis firmat, consiliisq; fovet.
Iungit opes, feduſq; ferit, tria federe regna
Consocians, armis dissita & antè animis.
Cedit Saxo ferox. Iterum Pax aurea terris
Redditur. Hîc belli meta moduſq; siet.

II.

MARS quatit invictus divinæ robora dextræ,
Et sedet in labris Suada, Minerva animo.

EVGENIVS III. REX XLVI.

Anno Mundi 4505. An. Christ. 535.
à conditu Regni 865.

I.

BRITTONA bellantem juvat auxiliaribus armis,
Et socio infestum Saxona Marte premit.
Frustra fama procax ausa est incessere probris,
Et frustra excelsum commaculare decus.
Cura, fides, mores, & candida pectora, vita
Innocua, & melior credere fama vetat.
Fama viri æternans pulcris virtutibus ævum.
CRIMEN sæpe metus, suspicioq; fuit.

II.

ILLVSTRO virtute decus: meritisq; refello
Dedecus. An famam crimina falsa premant?

CON-

CONGALLVS II. REX XLVII.

Anno Mundi 4528. An. Christ. 558.
à conditu Regni 888.

I.

NON animus luxu, non est superabilis auro:
Stat toto invictus pectore, mente, manu.
Qui cùm alios superet, certat se vincere maior,
Vincit & è stygio monstra renata lacu.
Sic cunctis operum numeris, sic ordine constant
Omnia, sic coëunt pax pietasq; simul.
Vt delapsa polo cœlestia Numina credas,
Divisum cum illo jam regere imperium.

II.

TE decus, augustis cingit te fama coronis;
Seq; prior surgit fama decore tuo.

KINNATELLVS REX XLIIX.

Anno Mundi 4539. An. Christ. 569.
à conditu Regni 899.

I.

ET te Magne Senex claris adscribere fastis
Fas mihi, * sors quamvis sit brevis imperii.
Regni ultrò defers venienti jura Nepoti;
Nec tibi, plus patriæ cónsuluisse volens.
NON DECVS imperiis, non surgit gloria ab annis;
IMPERII extendunt sed benefacta decus.

* Mense quarto decimo Imperii obiit: ideo & quidam non numerant inter Reges.

II.

QVOD Sors imperiis & grandior invidet ætas,
Hoc meritis addit fama benigna meis.

Jonston, J.

AIDANVS REX XLIX.

Anno Mundi 4540. An. Christ. 570.
à conditu Regni 900.

I.

Nec genus, aut virtus, nec spes præsaga fefellit:
Quin superat meritis spemq́; fidemq́; suis.
Palantum incursus primo compescit in ortu,
Atq; alios aliâ sub ditione domat.
Bella sub assiduis signis cum Saxone, & Anglo,
Et Pictis (dubio Marte) cruenta gerit.
Iam senio gravis, & curis confectus iniquis
Occidit, æternas linquit & heu! lacrymas.

II.

Quæ juvenem, aut matura virum, deceántve senectam,
Et Patrem, & Regem; hæc omnia solus habet.

KENNETHVS I. REX L.

Anno Mundi 4575. An. Christ. 605.
à conditu Regni 935.

I.

Nomine non magno, nullis memorabilis ausis:
Quippe vetat fatis mors properata tuis.
Si benè qui latuit, benè vixit, nemo beatus
Te vivente magis: nemo magis latuit.
Et melius latuisse fuit, quàm crimine famam
Quærere. Nam sceleri gloria nulla venit.

II.

Esse brevis vitæ, & benè si latuisse beatum,
Non quisquam melius vixerat, aut moritur.

EVGE-

EVGENIVS IV. REX LI.

Anno Mundi 4576. An. Christ. 606.
à conditu Regni 936.

I.

ARTIBVS ingenuis juvenem finxisse *COLVMBA
Dicitur, ævi ingens delicium ille sui;
Cælestemq; animis puri affudisse liquorem
Nectaris. Hinc puræ Relligionis amor.
Pace suos regit: Atq; hostes rerum omnium egenos
Suscipit extorres, prosequiturq; favens.
SCILICET & Pietas, generoso & pectore Virtus
Emollit mores, nec sinit esse feros.

* Sanctissimus illâ ætate & sapientissimus habitus, & cujus apud Reges maxima auctoritas fuit.

II.

GAVDEAT auspiciis felix Respublica nostris:
Præsidet imperiis sacra Minerva meis.

FERCHARDVS I. REX LII.

Anno Mundi 4591. An. Christ. 621.
à conditu Regni 951.

I.

FAX ardens procerum, patriæ furialis Erinnys,
Imperii pestis, seditione potens.
Dira venenati fertur suxisse Pelagi
Dogmata, divina & contemerasse sacra.
At quæ ausa impietas Divûm contemnere ritus,
Ausa quoq; infami est se temerare manu.

II.

DISCE meo exemplo sacros non temnere ritus:
Mitte nefas. Adstans frena gerit Nemesis.

DONALDVS IV. REX *LIII.*

Anno Mundi 4602. An. Christ. 632.
à conditu Regni 962.

I.

ÆTERNVM decus imperii, lux aurea gentis
Christiadûm, excelsi sacra propago poli.
Te duce Relligio ingenti studio atq; labore
Provehitur: duce te jura, fidesq; vigent.
Te duce Saxonidûm quondam gens effera, & exlex,
Suscipit ætherei jura verenda Dei.
VNICA lux regnis PIETAS pulcherrima rerum:
PRINCIPIS & virtus maxima, nosse DEVM.

II.

LAVRVS, sceptra, decus, fastiq;, tropæa, triumphi,
Est sacra pro cunctis Relligio una mihi.

FERCHARDVS II. REX *LIV.*

Anno Mundi 4616. An. Christ. 646.
à conditu Regni 976.

I.

MONSTRVM horrendum, ingens, Lybicis immanius aris,
Proluvies scelerum, gurges avaritiæ.
Cuncta referre piget. Tantùm vesania crevit,
Et scelerum infames incubuêre notæ.
Addictum Furiis, & sacris interdictum,
Vindice percussit Numine terra lues.
IRA Dei postquam subiit fera pectora, fassus
Crimina, se jussit prostitui populo.

II.

ME, me, perdideram, scelerum ni territet horror,
Hinc verùm didici posse timere DEVM.

MALDVINVS REX LV.

Anno Mundi 4634 An. Christ 664.
à conditu Regni 994.

I.

DVM positis armis vicinas federe gentes
Conciliat, fera gens suscitat arma domi.
Ille modum ponit prudens, subigitq; feroces.
Saxonidæ, CHRISTVM, quem pepulere, fovet.
Ah! nescit quæ fata manent. Dirissima coniux
Opprimit insidiis. Tollitur illa nocens.
AVT amat, aut odit mulier. NIL deniq; tutum
Imperiis, vestra hæc tristia fata docent.

II.

ARMA armis repuli, colui pacemq;, fidemq;.
Suspicio nocuit. Me mea Iuno necat.

EVGENIVS V. REX LVI.

Anno Mundi 4654. An. Christ. 684.
à conditu Regni 1014.

I.

MARTE manuq; gravis, coniungit viribus artem;
Artibus insidias, viribus arma premit.
Arduus, armatusq; insultans Marte protervo
Sensit id aversis Saxo repulsus equis.
Ni medio in cursu fatis præreptus iniquis,
Etsi magna dedit, plura daturus erat.

II.

ARMA, dolosq; in me stringit male callidus hostis:
Arma armis didici pellere, & arte dolos.

Jonston, J.

EVGENIVS VI. REX LVII.

Anno Mundi 4654. An. Christ. 688.
à conditu Regni 1018.

I.

VRANIE juvenem divinis artibus auxit:
Addidit & cultum sacra Minerva animi.
Artibus ut pacis, sic duris inclutus armis.
Saxo colit pacem, Pictus in arma furit.
* Principe quo, totis septem maduisse diebus,
Sanguineo terras cælitus imbre ferunt.
Portentum heu dirum! millenâ & morte piandum!
Depluit has pœnas Vindicis ira DEI.

* Per totã Britanniam hoc accidisse tradũt, conversõ etiam lacte, caseo, butyro, & segetibus in sanguinem.

II.

NON nostro tantùm auspicio res patria felix
Floruit. Et Musis pars sua magna fuit.

AMBERKELETHVS REX LIIX.

Anno Mundi 4667. An. Christ. 697.
à conditu Regni 1027.

I.

QVI modò Scotigenûm vires, atq; arma tremiscunt,
Ecce ultrò PICTI jam quatere arma parant.
Heu ubi priscus honos! quæ te tam fœda morantur
Otia? quæ Venus, aut improba cura tenet?
DEGENERES animos timor arguit. Ictus acerbo
Vulnere, at incertâ fertur obisse manu.
NESCIA mens hominum fati, dum illudere fatis
Aut timet, aut sperat, in sua fata ruit.

II.

CVR mortem refugis? stat ineluctabile fatum
Omnibus. EXITIO sæpe timere fuit.

EVGE-

EVGENIVS VII. REX LIX.

Anno Mundi 4669 An. Christ 699.
à conditu Regni 1029.

I.

INGENTI postquam applausu Mavortius heros
Sceptra subit, placitæ munera pacis obit.
Effera dum rabies ferroq; armata maritum
Poscceret, heu coniux vulnere amata perit!
Digna cani gessit; magnorum & gesta virorum
Iusserat æternis scribere originibus:
Postera quæ coleret seclis venientibus atas.
DIGNVM fama virum perpete laude beat.

II.

MACTE tuis fatis! fati modò victor atrocis:
Nunc patriæ æternas & tua fata simul.

MORDACVS REX LX.

Anno Mundi 4685. An. Christ. 715.
à conditu Regni 1045.

I.

CANDIDA te Pietas, te Pacis dives inumbrat
Gratia, & æterno federe juncta Fides.
Sacrorum tibi cura ingens. * Tua secla beata
Pace nitens omnis terra Britanna canit.
Quo regnante viget toto VENERABILIS orbe
BEDA: hîc extremam claudit & historiam.

* Quatuor in Britannia gentes (inquit Beda) vixêre sub pace, Angli, Brittones, Picti & Scoti.

II.

PAX dilecta Deo, germanaq; pacis alumna
Relligio, plus quàm me facit esse hominem.

ETFI-

Jonston, J.

ETFINVS REX LXI.

Anno Mundi 4700. An. Christ. 730.
à conditu Regni 1060.

I.

AN quisquam credat duris exercita bellis
Pectora; fœtum armis, bellipotensq; genus,
Sic placidam positis pacem bellacibus armis
Iam colere? Auspiciis Pax viget illa meis.
Iudicibus sacra jura dedi, lectumq; Senatum,
Qui regerent populos. Inde senex morior.

II.

NEC me pœnituit pacis. Pax aurea vena,
Fonsq; boni. Nec me non aliquem esse putes.

EVGENIVS IIX. REX LXII.

Anno Mundi 4771. An. Christ. 761.
à conditu Regni 1091.

I.

QVID tua non audet dextra imperterrita? ferrum
Corripe; te viso gens inimica pavet.
Civibus instauras coneussæ dulcia pacis
Otia, & auctores te feriente luunt.
Quæ nitet adversis virtus præclara, secundis
Fracta jacet, tristis quæ tibi causa necis.
OTIA virtuti rebusq; inimica secundis
Pelle procul, prudens ni periisse velis.

II.

DA mihi, da quod agam Mavors, daq; arma, peregi
Omnia. Dumq; ago nil, hoc ago, ut ipse ruam.

FERGVSIVS III. REX LXIII.

Anno Mundi 4734. An. Christ. 764.
à conditu Regni 1094.

I.

EVGENII similis vitæ sors, terminus idem
Imperii: ambobus finis acerba venit.
Principiò effulsit virtus benè cognita, rursus
Degener. An virtus dissimulare fuit?
FORTVNAM metuat, prudens qui nesciat uti.
Ille cadit dextrâ conjugis; Illa suâ.

II.

HIC veteres proavos, & priscæ nomina gentis
Cerno; si constans vis foret illa animi.

SOLVATHIVS REX LXIV.

Anno Mundi 4737. An. Christ. 767.
à conditu Regni 1097.

I.

TVRBA gravis paci, patriæq; inimica quieti,
Rege alio exultans dum populatur agros,
SOLVATHIVS fundit socios cum Rege rebelles.
Bello regna parat, partaq; jure tenet.
Hostes qui potuit, nequiit domuisse podagram.
Cetera at heroo pectore, mente, manu.

II.

HOSTES perdomui victor, me dira podagra
Vexat, & in media pace ego bella gero.

ACHAIVS REX LXV.

Anno Mundi 4751. An. Christi 787.
à conditu Regni 1117.

I.

CONSILIIS præstans & forti pectore, & armis,
Flos hominum, atq; idem curaq;, corq; Deûm.
Dii fregere minas. Diis depellentibus hostis,
Et perit undisonis hostica puppis aquis.
Diiq; tegunt socios. Tibi Dii fudere phalanges,
Cùm fugeret fracta cuspide Saxo ferox.
* Fœdera cum Francis primus sollennia pangis:
Te duce & Aonidûm Gallia jactat opes.
Stat pretium fidei. Pulcris stat gloria rebus.
REBVS adest pulcris Numen, amorq; DEI.

* Cum Carolo Magno Francorum Rege. Literæ quoq; per Scotos in Gallia propagatæ eodem tempore.

II.

FŒDERIS æterni dederam incunabula. Nostro
Auspicio Musas Gallia docta fovet.
Major ego his, propiorq; Deo. Mihi militat æther,
Cedit & iratus Mars mihi Marte novo.

CONGALLVS III. REX LXVI.

Anno Mundi 4789. An. Christi. 819.
à conditu Regni 1149.

I.

POSTQVAM composito cessavit turbine Mavors,
Promicat auratas Pax redimita comas.
PAX sincera hominum, divûm Pax una voluptas,
Orbis amor, rerum publica vita, salus.
Te meritò magnum pacis veneramur amore.
Paxq; tuum pulchro cingit honore caput.

II.

PACE regis populos, tibi pax vel mille triumphis
Est prior. Hâc felix tu, populusq; tuus.

DONGAL-

DONGALLVS sive Dugallus. REX LXVII.

Anno Mundi 4794. An. Christ. 824.
à conditu Regni 1154.

I.

VIRTVTIS veræ custos, rigidusq; satelles,
Acer & in sontes ferrea jura dedit.
Et tu armis audes contra male sana juventus?
Pone arma; & mortem, vel fera vincla subi.
Iura suo ALPINO Pictorum in regna reposcens
(ALPINO mater Pictica quæ dederat:)
Heu! nimium infelix properat fatalia jura;
* Dum celer infaustis obruit unda vadis.

*In trajectu Speiæ amnis rapidissimi.

II.

IVRA dedi populis. Me fraus injusta petivit
Iure armis hostem dum peto, mergor aquis.

ALPINVS REX LXIIX.

Anno Mundi 4801. An. Christ. 831.
à conditu Regni 1161.

I.

PICTORVM sibi sceptra petens justissimus hæres,
Corripit audaci signa parata manu.
Vidit, & obstupuit fugiens trepido agmine Pictus:
Captaq; de ducibus sunt tria signa tribus.
Victor ab insidiis capitur. Cur perfide capti
In caput immani sic feritate furis?
Mortales meminisse vices mortalis & ipse
Debueras. Te eadem fors fera fata manent.

Alpinus Achaii filius Regni Pictici legitimus hæres ex Hungi Pict. Regis sorore Nepos, extincta virili stirpe.

II.

MARTIS ego soboles felix tria prælia feci.
Victorem vicit barbara turba dolis.

Jonston, J.

KENNETHVS II. Victoriosus. REX LXIX.

Anno Mundi 4804. An. Christ. 834.
à conditu Regni 1164.

I.

NOBILIVM Regum flos, & decus unicum, & unus:
Qui genus antiquum, qui decora alta refert.
Arte Deum simulans, trepidis Mavortia corda
Adspirat, vires sufficiente DEO,
Si referam, quis credat? septem uno agmina fundit
Victa die, Pictos exitioq; premit.
Fas & jura dedit populis, victoribus arva:
Adjunxit regnis Pictica regna suis.
Altior humanis cœlestia munera obire
Est ausus: nec quo progrediatur, habet.

Leges Kennethi extãt apud Boëtũ fol. 207.

II.

MAGNANIMIS tu major avis, nova regna parasti:
Antiqua inlustras: major utrisq; cluis.

DONALDVS V. REX LXX.

Anno Mundi 4824. An. Christ. 854.
à conditu Regni 1184.

I.

OBLITVS decorisq; sui, decorisq; suorum,
In vitium sese præcipitavit iners.
Arma lacessitus tamen induit, hostica castra
Cepit, & hostili sanguine lavit equos.
Bervicum insedit: sed mox obsessus ab hoste,
Deditur. Hinc strages, atq; ruina gravis.
Jam ferus & violens in se, sibi tristia fata
Approperat, ferro perfodiente latus.

II.

MOBILIS ingenio, sortis variantre procellis
Obrutus, At crimen, culpa, nefasq; nicum.

CONSTANTINVS II. REX LXXI.

Anno Mundi 4829. An. Christ. 859.
à conditu Regni 1189.

I.

SACRA, Sacerdotum mores, fastusq; superbos
Corrigit, & luxus pabula blanda necat.
Inde repentinos turbantes otia motus
Sedat, & auctorem datq; neci socios.
Agmina Cimbrorum latè palantia postquam
Fudisset, victo captus ab hoste cadit.
NE confide armis. Sors est incerta duelli.
Sæpe etiam victis illa secunda redit.

II.

ET belli, pacisq; decus, spes publica, robur
Et Patriæ constans nomine, req; Pater.

ETHVS cognomento Alipes REX LXXII.

Anno Mundi 4844. An. Christ. 874.
à conditu Regni 1204.

I.

DVM fugitivam aciem, & retrò labentia signa
Restituit, vindex asseruitq; manu,
Imperium meruit. Scelerum in declivia fœda
Prolapsus, partum perdidit antè decus.
Quò Fors hæc rerum, si quis benè nesciat uti?
QVÆ Forte adveniunt, CRIMINE dispereunt.
Non illi cursu certârit fulminis ales.
Hinc illum ALIPEDEM tempora prisca ferunt.

II.

IN vitium flecti facilis: non impiger armis.
HIS peperi; at illo concidit omne decus.

GREGORIVS MAGNVS REX LXXIII.

Anno Mundi 4846. An. Christ 876.
à conditu Regni 1206.

I

CONSILIIS subigit populi fera pectora, pacem
Instaurat: Lancem librat utramq; manu.
Quattuor exegit properato Marte triumphos.
Cum Pictis pepulit Cimbrica regna simul.
BERVICVM quassat. Vincit dehinc Brittona; & inde
Compulit Hibernos sub sua jura duces.
VNIVS in gremio, celsoq; in pectore regnant
Consilium, virtus, robora, sancta Fides.

II

DEXTERA cura, labor, vigiliq; in pectore virtus,
Tantos pro meritis ferre dedit titulos.

DONALDVS VI. REX LXXIV.

Anno Mundi 4863. An. Christ. 904.
à conditu Regni 1234.

I.

PACATAS rexit patriis virtutibus urbes,
Quamq; olim dederat spem coluit meritis.
Danorum innumeras naves à finibus arcet:
Et juvat auxiliis Anglica regna suis.
Armaq; nata domi connato fœda cruore,
Indomitmq; genus Marte potente domat.
Iamq; triumphali redimitus tempora lauru
Restituit populis otia grata suis.

II.

VT fortis fuerat, sic felicissimus: ARQVI
FELICEM hæc faciunt, Mens Bona, Dextra, Fides.

CONSTANTINVS III. REX LXXV.

Anno Mundi 4874. An. Christ. 904.
à conditu Regni 1234.

I.

SECVRVS nimiùm famæ non alite fauſtâ
Conjungit ſignis Danica ſigna ſuis:
Signa inimica Deo. Quanta hinc jactura ſecuta?
Flevit & amiſſos fortia corda Duces:
Et cum tot ducibus divulſos finibus agros,
Quos nuper dederat Mars, meliorq; manus.
Ergo impar fatis, vitæ pacata ſecutus
Otia, cum monachis relligioſus agit.

II.

DAMNA dedi patriæ deluſus imagine falsâ;
Quæq; prius læſi Numina ſacra colo.

MILCOLVMBVS I. REX LXXVI.

Anno Mundi 4913. An. Christ. 943.
à conditu Regni 1273.

I.

ET famam factis, & regnum finibus auxit;
Addita & imperio quæ cecidere prius.
Res Danûm fractæ ſociorum viribus, Angluſq;,
Et Scotus coëunt federa lege pari.
Sic verſat Fortuna vices, variatq; recurſum,
QVIQVE hoſpes fuerat, protinus hoſtis erit.
Dum priſco ritu populis dat jura vocatis,
In caput innocuum gens truculeuta coït.

II.

AVXI, ſervavi, patriam rem legibus, armis.
Creſcere jam potuit, ni fera fata premant.

INDVL-

INDVLFVS REX LXXVII.

Anno Mundi 4922. An. Christ 952.
à conditu Regni 1282.

I.

Ecce iterum Danus nostris adnavigat oris,
Intentans diris arma, minasq; odiis.
Ast ubi ferratis contrà venit ocyus armis
Indvlfvs, trepidâ dissiliêre fugâ.
Dumq; animi fervens retrò fugientibus instat,
Hostiles turmas inter & arma cadit.
Pone modum, neu frena animis permitte citatis.
Victori nocuit præcipitasse nimis.

II.

Cimbrorvm terror, patriæ tutamen in armis,
Virtuti illudunt aspera fata meæ.

DVFFVS REX LXXIIX.

Anno Mundi 4931. An. Christ. 961.
à conditu Regni 1291.

I.

Horrida perpetuò gensq; insuperabilis armis,
Hujus signa tamen protinus obstupuit.
Invidiæ est virtus. Magico cantamine marcet,
Vixq; venenatos effugit ille dolos.
Dum patrios format mores, dum crimina plectit,
Occultâ ac fœdâ proditione cadit.
Occvltvm nihil usq; latet fœdumq; patratu.
Extulit in lucem crimen aperta dies.

Ad Foressam in Moravia. Totos sex mẽses post cædem neq; Sol neq; Luna conspiciuntur. Vide Historiam.

II.

Mi mens, mî virtus invictaq; dextera ab armis.
Quæ potuit virtus tot superesse dolis?

CVLE-

CVLENVS REX *LXXIX.*

Anno Mundi 4936. An. Christ. 966.
à conditu Regni. 1296.

I.

REGIFICA accensus mentemq́; & pectora curâ
Cædis in authores, carnificesq́; manus,
Vindictam exercet, meritasq́; in crimine pœnas
Exigit. Hinc decus, & nomina magna parit.
Mox tamen innumero se incestat crimine, & unà
In scelus, inq́; nefas agmina mille trahit.
OMNIBVS in vitium præceps via: vixq́; retrorsus
Vlla patet. Mediâ sic perit ille viâ.

II.

SI qualis vigor est animis, tam innoxia virtus
Afforet, haud ulli forte secundus eram.

KENNETHVS III. REX *LXXX.*

Anno Mundi 4940. An. Christ. 970.
à conditu Regni 1300.

I.

ILLVVIEM scelerum, & fœdissima regna
Tollit, & exemplo civibus ipse præit.
Fundit humi Danos. (HAIORVM hîc inclyta Virtus
Et tulit, & meruit rem simul atq; decus.)
Armorum, belliq; potens. Sed dira Cupido
Imperii stimulis pectora cæca agitat.
SINCERVM nihil est vitâ in mortalium; & uni
Succumbit culpæ. * Fœminæ ab arte cadit.

II.

IPSE mihi famæ lucem propè crimine in uno
Abstuleram. At dubiis lux micat in tenebris.

* Ad Fethercarniâ in Mernia æstu Fenellæ arcis dominæ occiditur.

CONSTANTINVS IV. Cognomento Calvus REX LXXXI.

Anno Mundi 4964. An. Christ. 994.
à conditu Regni 1324.

I.

PRÆSIDIIS procerum, & fretus popularibus auris,
Imperii fasces ambitiosus adit.
Ex quo discissum studia in contraria Regnum
Partibus adversis aspera multa tulit.
Et fera Tisiphone, Furiæq;, & tristis Erinnys,
Et regnant pestes, & male-suada fames.
Exposcit Mavors connato in sanguine pœnas,
Adversoq; cadum vulnere utrinq; duces.

II.

QVÒD ruat adversis patria ah miserabilis armis,
Vivus ego & moriens talia damna dedi.

GRIMVS REX LXXXII.

Anno Mundi 4966. An. Christ. 996.
à conditu Regni 1326.

I.

GRATIA, majestas, pulcroq; in pectore virtus
Emicat, & sceptris degener haud animus:
Ni fœda ambitio, regniq; effrena libido
Turpè labans rebus deteriora daret.
Non iisdem auspiciis, avibus non regnat iisdem.
Incubat heu propriis ceu ferus hostis agris.
Deditur in pœnas. CESSET culpare siniſtram
Fortunam quisquis, quod meruit, patitur.

Captus, oculis privatus mœrore moritur.

II.

FELICEM hîc spectes florentem & robore regni,
Mox miserum ah sortis ludibriumq; feræ.

MILCO.

MILCOLVMBVS II. REX LXXXIII.

Anno Mundi 4974. An. Christ. 1004.
à conditu Regni. 1334.

I.

DISSITA regna odiis varioq; infracta tumultu
Instaurans, reddit cultum, habitumq; novum.
O quoties Dano maduerunt sanguine campi!
Ter fusi trinâ terga dedere fugâ.
Nemo laude prior. Tantam si ferre, fruíve,
Possit Avarities, atq; odium Invidiæ.
Sustulit invidiæ rabies furialibus ausis.
Mox scelerum pœnas dat furiata manus.

II.

ET tu dignus eras fatis melioribus. Hæc tu
Immerito. AST VIRTVS nescíet ulla mori.

DVNCANVS I. REX LXXXIV.

Anno Mundi 5004. An. Christ. 1034.
à conditu Regni 1364.

I.

DVM quatit Æbudas, subeunt his altera bella:
Sedibus ecce suis Danica regna ruunt.
Terroremq; ferunt vasta & dispendia Regno.
Frangere sed certum est Marte vel arte truces.
Pocula larga manu * lethæo rore remista
Porrigit. Hac alios sommifer arte Deus
Abstulit. Ast alios bibulæ rapit æstus arenæ.
Penè pari socios Mars dedit exitio.
INSIDIAS caveat, qui vicit cuncta. Propinquum
Tollit ab insidiis perfidiosa manus.

II.

TVTVS ab hoste fui; per me quoq; Patria. Victor,
Victus ab insidiis. Hostis amicus erat.

* Succo nimirū herbæ, quam vulgo solunum somniferū appellant, cujus maxima copia in Scotia passim provenit.

A Macbetho consobrino est sublatus, quē maximis honoribus affecerat.

Jonston, J.

MACBETHVS sive Maccabæus, Boëthio

REX LXXXV.

Anno Mundi 5010. An. Christ. 1040.
à conditu Regni 1370.

I.

SVSTVLIT insidiis cognato sanguine Regem,
Et pretium sceleris regia sceptra tulit.
Dum studet æternam hanc maculam detergere, multa
In melius patriæ consulit & populo.
Arte feros motus premit, aut prævertitur armis.
Dat pacem, & leges, jutaq; nunc patriæ.
Rursus ad ingenium rediens iraſq;, furoresq;,
Improbus in proceres, & sacra jura vomit.
Cæde furit, cæde ergò perit. SORS ilicet æqua,
CÆDIVM & artifices arte perire suâ.

II.

DISCITE quàm sceptris non tutum fidere. Princeps
Esse volo. Iam de Principe nullus ego.

MILCOLVMBVS III. Cammor, hoc est, μεγαλοκέφαλος, sive Capito REX LXXXVI.

Anno Mundi 5027. An. Christ. 1057.
à conditu Regni 1387.

I.

Honorum peregrinos titulos dicitur primus invexisse.

VIRTVTE illustrat titulos, tituliſq; decoris
Facta ducum, & meritas signat honore comas.
Hoste quater fuso, spoliis decoratus opimis,
Læta coronatis signa revexit equis.
Armaq; nata domi toties compescuit. * Armis
Iam positis populo scribere jura libet.
Immanem luxum exemploq; ac lege coërcet,
Pronus & effuso sacra favore juvat.

* Spurcas Eveni leges abrogavit precibus maximè Margaritæ uxoris.

STAT

STAT DECVS æternum meritis. Stat fama laborum.
Et pretium VIRTVS testis & ipsa sui est.

II.

TV patriæ certas, patriæ & pietatis amore:
Nec patria aut pietas cedit amore tibi.
O multúm felix rerum discordia! magne
Marspiter in reges talia bella sere.

DONALDVS VII. BANVS, sive Albus, REX LXXXVII.

Anno Mundi 5063. An. Christ. 1093.
à conditu Regni 1423.

I.

IAM casu perculsa gravi, jamq; altera sentit
Vulnera, felici patria cassa duce;
Et Patre, & Nato. Regum de stirpe propinquâ
Qui modò delituit, sceptra Tyrannus adit.
Immensis furit ille animis, ultroq; lacessit
Aversos proceres, atq; odiis odia
Funesta accumulat. Duri hinc certamina Martis:
Exilium hinc Regi: hinc excidium patriæ.
NEQVIDQVAM effugium scelerum MENS conscia quærit.
Squallidus horrenti carcere clausus obit.

II.

ME tumidum ambitio, regnandi & sæva libido
Extulit: ah miserum perdidit hæc eadem!
Quis furor, ô Reges, quænam hæc dementia, nullo
Exemplo, sceptris ponere velle modum?

Jonston, J.

DVNCANVS II. REX LXXXVIII.

Anno Mundi 5064. An. Christ. 1094.
à conditu Regni 1424.

I.

CONSILIO excîtus procerum Mavortius heros
Sceptra tyrannigenæ Marte superba quatit.
Vindice sceptra manu meritus, patriæq;, patrumq;,
Reddidit excussa libera jura metu.
Si quantùm possis dextrâ & bellacibus armis,
Tantùm & consiliis, regna beata dares.
Scilicet arma magis, quàm Pacis munera noras,
Dura agitant armis pectora Martis opus.
O QVANTVM est populos recti & moderarier æqui
Legibus! O QVANTVM est hoc quoq; jure regi!

II.

PRIMA meis cœptis Fortuna arrisit. At illa
Fugit, & irrisam suscipit hanc alia.
Cur petis insidiis Regem? nolisve, velisve,
Et populi, & Regis Rex ego victor eram.

EGDARVS REX LXXXIX.

Anno Mundi 5068. An. Christ. 1098.
à conditu Regni 1428.

I.

ILLE modò horrisonis ingens inclaruit armis:
Artibus hic pacis, consiliisq; prior.
Nempe Tyrannigenæ postquam sunt versa DONALDI
Imperia, armorum jam cecidere minæ.
Paxq; domi, pax parta foris. Bis fœdere amico
Se sociant gentes, connubioq; pari.

Aurea

Aurea RELLIGIO pacem comitatur opimam.
* Aureolæ hinc per te ſtant monumenta domus,
Tam populo charus, quàm formidabilis hoſti,
Rexit honoratâ ſceptra beata manu.

* Geldenhame Germanâ linguâ aureã domum ſive habitationem ſignificat. Ejuſdẽ nominis urbẽ reperio in Curlandia in Livoniæ tractu.

II.

CEDANT arma togæ: cedat victoria paci
Magna licet. Mihi Mars ceſſerit ergo ferox.
Me dominum pacis celebrat quæ Fama perennis,
Hæc memorat ſummis regibus eſſe parem.

ALEXANDER I. Cognomento ACER, REX XC.

Anno Mundi 5077. An. Chriſt. 1107.
à conditu Regni 1437.

I.

MAGNVS ALEXANDER virtute & viribus acer:
Acris & indomito dextera Marte cluit.
Miranturq; animos cuncti vegetumq; vigorem,
Roboraq;, & magno pectora plena DEO.
Menticolûm incurſus extremi ad littoris oras
Prævertens celeri dexteritate premit.
Templa locat, ſacris & ditia munera templis:
Addit & ingentes * relligioſus opes.
Non quiſquam pietate prior, nec clarior armis:
Nec virtus priſcis cedit imaginibus.

* Religionis ſtudiũ, nõ cultum depravatũ hic & alibi probamus.

II.

VNVS Pellæo Regi non ſufficit orbis.
(Dira fames famæ, & ſanguinis illa ſitis:)
Virtuti Fortuna meæ ſubſcribat, & orbis
Sit pretium, ſim illo non ego forte minor.

DAVID

DAVID I. REX XCI.

Anno Mundi 5094. An. Christ. 1124.
à conditu Regni 1454.

I.

AVREA progenies, genus alto à sanguine divûm,
O decus, ô patriæ flosq́; jubarq́; tuæ
Auspice te antiqui imperii nova jura resurgunt;
Cumq́; novis redeunt secula prisca bonis.
Relligio tua cura: tuis super omnia fatis
Res provecta foris, res quoq́; adaucta domi.
Arbiter & belli & pacis, cui nulla tulere
Secla parem. Vos ô secula magna voco!
SORS bona, sors felix, vitæ in te cuncta beatæ
Clausit, & imperii munera cuncta boni.

II.

AVGET opes * thalamis, patriam suâ ope. Omnia felix,
Prole, thoro, imperio, relligione, opibus.
Omnia quum superet quid? vincere semet.
Vincit: se magnis æquiparatq́; diis.

* Auxit Regnum Northumbriæ & Venantoduni comitatibus ex nuptiis uxoris Mathildis.

MILCOLVMBVS IV. REX XCII.

Anno Mundi 5123. An. Christ. 1153.
à conditu Regni 1483.

I.

CLARA patris soboles regnis succedit avitis:
Nec patre, nec tanto degener exstat avo.
Arma prius pacat montanis excita ab agris,
Et genus indomitum terq́; quaterq́; domat.
Credulus at nimium fallaci elusus ab hoste
Multa tulit, forti vix toleranda viro.
Legibus & cives, atq; arma coërcuit armis:
Et sacras auxit relligiosus opes.

Castus & innocuus gaudebat cælibe vitâ,
Innocuam vitam morsq; beata probat.

Virginis nomen meruit ob perpetuam castitatem.

II.

Est Regum, servare fidem: mihi pacta Tyrannus
Si violat, nostrum crimen an error erat?
Arma odi & fraudes. Pax & constantia sceptris
Digna meis: Decorant hæc quoq; sceptra mea.

GVILIELMVS cognomento LEO.

REX XCIII.

Anno Mundi 5135. An. Christi. 1165.
à conditu Regni 1495.

I.

Nvlli animis, nulli veterum virtute secundus;
Sive opus est armis, sive ope consilii.
Marte lacessitus, vario quoq; Marte lacessit
Fortunam. Cauto captus ab hoste semel.
Hinc * Perthvm condit prisco de nomine Berthæ,
Quam rapidâ insanus Tavs inundat aquâ.
Arva, viros, urbesq; simul, pecudesq;, feraq;
Sternit agens, matrum & * pignora rapta sinu.
Hinc dolor & damnum Regi. Nvlli esse beato
Quippe licet. Perpes cura, dolórve venit.

* Vtrumq; & Berthu, & Bertha, quasi Bar-Tai, id est, limes ad Taum, dici videtur vetustissima lingua.

* Et in his Regis filiũ cum quatuor decem aliis in Regia domo, præter promiscuam multitudinem.

II.

Si mihi nec genus, aut decus aspiraret avorum,
E tenebris quirem extollere fortè genus.
Vlterius tendam meritis? incumbere partis
Sat mihi, nec proavis degenerasse meis.

Jonston, J.

ALEXANDER II. REX XCIV.

Anno Mundi 5184. An. Christ. 1214.
à conditu Regni 1544.

I.

RARI animi juvenis redivivæ candida pacis
Munera dat patribus, jusq; suæ patriæ.
Mars ciet arma iterum. Cumulant hinc inde cruentas
Sævitiâ cædes, exscidia exscidiis.
Iam latè sese effundens hostilis in agri
Intima, LONDINI mœnia vasta subit.
Conlatisq; opibus Franci, in sua verba potentem
Hostem adigit. Rupto hic fedære verba dedit.
Tergeminos rediens motus compescuit, armis
Armaq;, & hostiles robore fregit opes.

II.

PRÆLIA vis? est & mihi prompta ad prælia dextra.
Vin' pacem? pacem haud abnuo. Verba dabis.
Turba sacerdotum me etiam irrequieta fatigat.
Quid faciam? Pacem, nec colere arma licet.

ALEXANDER III. REX XCV.

Anno Mundi 5219. An. Christ. 1249.
à conditu Regni 1597.

I.

CONNVBIO Anglorum stabili nova federa pacis
Conciliat. Subeunt bella repente nova.
Omnia Norvegus latè loca milite complet.
Quem magno intrepidus robore fundit, agit.
Mutua dehinc pacis sociantur federa. Leges
Iuraq; dat populis munera grata suis.

RES hominum ah fragiles! * Illum de rupe reclivi
Præcipitem insani vis fera raptat equi.
VSQVE adeo certi nihil est mortalibus ævi;
Et subeunt miseris mille repente neces.

* Nō procul Kingorno ad trajectū Forthæ. Ex quo casu, maxima desolatio secuta est usq; ad imperiū Rob. Brussii.

II.

MVLTA ferunt Fati leges, quæ vincere durum,
Quæ fortis, sapiens, effugere haud potis es.
Providus an quisquam est adeo, qui talia cernat,
Aut vitet? FATI stat sua CVIQVE DIES.

IOHANNES BALLIOLVS REX XCVI.

Anno Mundi 5263. An. Christi. 1293.
à conditu Regni 1623.

I.

ÆMVLVS imperium non æquo judice adeptus,
Cui nimium facilis dat solüitq; Fidem.
Hostilem classem ad Tuedæ ostia fundit, & urbe
Bervico avertit fortiter obsidium.
Concitus hinc, hastis crudelis in omnia sævit.
Fraudibus illectus REX miser exul agit.
Hinc tristis rerum facies, inopinaq; surgunt
Excidia. * AT VALLAS præstitit unus opem:
Ille suæ patriæ vindex fortissimus, omni
Major laude, omni grandior invidiâ.

* Qui & custos Regni fuit, & res incredibiles gessit. De quo in Heroibus nostris.

II.

REGNA nimis cupidè appetii. Me dira cupido
Regnaq;, servili dat subigitq; jugo.
Ah facilis nimium! ah stolidis temerarius ausis!
Et pretium sceptris exiiumq; fero.

Jonston, J.

ROBERTVS BRVSSIVS REX XCVII.

Anno Mundi 5276. An. Christ. 1306.
à conditu Regni 1636.

I.

QVIS varios casus, quis dura pericula BRVSSI,
Fatorumq; vices commemorare queat?
Qui victus toties, toties qui victor & hostis,
In vacuo fixit Martia signa solo.
Qui domitis Fatis, pugnando restituit rem;
Civibus & patriam, jusq; suum patriæ.
Cùm tot acerba virûm, cùm tot cumulata suorum
Funera funeribus cerneret ante oculos;
Mens generosa animi Fortunæ excelsior omni
Imperio, stabili perstitit usq; gradu.
SCOTIA quæ statues VICTORI justa tropæa!
Qui Fati, ac hostis, Victor & ipse Sui est.

BRVSSIVS Regni instaurator ac pene novus conditor, in omni Fortuna invictus.

II.

VICTVS, non victus, felix, miser, omnia, nullus.
Quidnam hoc? humanum non capit ingenium.
Fatis bella gerit. Sed Fatis robore major
Est DEVS. Hoc vincit fata sequens, fugiens.

DAVID BRVSSIVS REX XCIIX.

Anno Mundi 5300. An. Christ. 1330.
à conditu Regni 1660.

I.

STIRPS magni generosa ducis, stirps incluta BRVSSI,
Te quoq; sors, patris nec satiata malis,
Turbine torva quatit. Primis en protinus annis
Imperii amissis fascibus exul agis.
Heu quales subiere vices! heu quanta malorum
Augmina! quò fera sors pergat, an ulterius?

Exul

Exul bis totieſq; redux fera prælia tentat.
Fortis, at infelix. Cetera magnus erat.
AST tandem FORTVNA malis laſſata, quieto
Imperio, placidâ dat quoq; morte frui.

II.

EXILIA exiliis mihi ſors cumulavit acerbis,
Atq; novis ſubeunt aucta pericla malis.
Ecquis inhumani ferat hæc ludibria Fati?
Nempo ego, Bruſſiadâ qui genitore ſatus.

EDVARDVS BALLIOLVS REX XCIX.

Anno Mundi 5302. An. Chriſt. 1332.
à conditu Regni 1662.

I.

VIRIBVS Anglorum fretus, patriæq; ruinis,
Bruſſiacæ ſtirpi debita regna rapit:
Indigniſq; modis cives, patriamq; fatigans,
Servitio infami libera jura premit.
Et ſua ſummittens Anglorum jura Tyranno,
In pretium regni regna aliena dedit.
Nomine rex tantùm; vix nominis umbra relicta eſt.
Aut pavor, aut hoſtis cetera cuncta tenet.
Sors & vita patris, natiq; ſimillima. Vterq;
Imperii exutus faſcibus exul obit.

II.

PRÆDA mihi regnum. Fallaci præda tyranno, &
Ludus ego, & regni, & proditor ipſe mei.
Illecebræ capiunt, capiunt certamina honorum.
Cuncta catus volui, cuncta Tyrannus agit.

Jonston, J.

ROBERTVS STVARTVS REX C.

Anno Mundi 5341. An. Christ. 1371.
à conditu Regni 1701.

I.

PRIMVS honoratâ lectus de gente STVARTA,
Brussiacâ ducit sceptra genusq; domo:
Amborumq; genus meritis ingentibus implet,
Inq; novo priscos stemmate jungit avos.
Auspiciis cujus crebris decorata triumphis
SCOTIA, magnanimos extulit alta duces.
Quorum facta truces hostes sensere; vel ipsa
Fata quoq; audaces extimuere minas.
Arbiter interea pacis mediusq; duelli
Temperet æquali Rex pia jura manu.

II.

REGIBVS orte atavis, Reges geniture nepotes,
Bis felix, priscis atq; novis meritis.
Illi quæ dederant, tu das felicius aucta:
Vtq; illis debes, sic tibi regna alii.

ROBERTVS III. REX CI.

Anno Mundi 5360. An. Christ. 1390.
à conditu Regni 1720.

I.

QVI pacis studiis, quàm Martis promtior armis,
Imperio fratris publica cuncta gerit.
Æmulus at frater crudeli fraude* nepotem
Sustulit. Hinc patri damna, dolor, lachrymæ,
Multaq; præterea simulatâ mente volutans,
Civibus & sceptris insidiosa nimis.

* Davidem Regis Filium in arce Falcolandiæ.

Pax in fida novo bellorum turbine versa;
Inq; vicem redeunt pax, labor, & requies.
Tempore quo Gallis nostræ * lectissima gentis
Missa, suum æternant Martis honore genus.

* Hos quoq; damus in Heroib.

II.

Dijs ipsis poteram felix tum fortè videri,
Quùm regnum, & natos, cunctaq; læta darent.
Rursus at infelix cerno fera funera Nati
Alterius q; fugam. Quid superesse putem?

IACOBVS I. REX CII.

Anno Mundi 5394. An. Christ. 1424.
à conditu Regni 1754.

I.

Dvm captum hospitii violatis legibus Anglus
Detinet, ingenii nobilitavit opes.
Quas infert patriæ, patriam q; his artibus ornat:
Oppida, sacra, scholas, constituitq; forum.
Æbudas, gentesq; feras, populosq; rebelles
Perdomat. Inq; Anglos concitus arma movet.
Marte potens, atq; arte togæ Rex magnus: * & illum
Impia sic potuit contemerare manus?
Qvò non impietas, Regni & malesuada cupido
Proruit? At par est pœna secuta scelus.

Iacobus I. totis annis 18. captivus apud Anglos.

*A propinquis suis multis plagis confossus est Perthi.

II.

Qvam vario quondam cecidit sub vulnere Cæsar,
Vulnere tam vario Rex Iacobvs obit.
Ille malus patriam malè perdidit, & perit unà:
Optimus hic patriam servat, & occubuit.
Disparibus factis paria ergò fata? Svprema
Nullus ab eventu facta notanda putet.

IACO-

IACOBVS II. REX CIII.

Anno Mundi 5407. An. Christ. 1437.
à conditu Regni 1767.

I.

PROTINVS imperii non dum maturus habenas
Induit. Hinc odiis, seditione, dolis,
Certatum est inter proceres. Quæ damna secuta
In populo, vis, fraus, fœda rapina, nefas?
Quæ mala nata domi vixdum maturior ævi
Sustulit, & subeunt altera bella foris.
Terrifico * hostilem tonitru dum fervidus arcem
Fulminat, allisu fragminis ictus obit.
Infelix fatum! SIC INCONSVLTA ruit vis,
Præcipitans fatum sæpe siniſtra suum.

* Ad Rosburgum arcem, quã hostis tenebat.

II.

SISTE gradum, Mavors inquit: tibi pergere si fas,
Quo mihi, quove suo tela trisulca Iovi?
SIC ait: atq; suo confixum fulmine sternit,
Nempe mori potuit non nisi Marte suo.

IACOBVS III. REX CIV.

Anno Mundi 5430. An. Christ. 1460.
à conditu Regni 1790.

I.

TV quoq;, tu Regnum studia in contraria scindi,
Sensisti, & Proceres in tua damna truces.
Cuncta odiis fervent, plusquam & civilibus armis;
Inter & hæc patriæ res labefacta jacet.
Suspicio, insidiæ, fratrum discordia, carcer,
Pax, bellum rursus, cunctaq; plena malis.

Nec

Nec modus. Hinc atq; hinc animis ingentibus instant,
Cognataeq; ruunt in sua fata manus.
* Rex cadit infelix. Sed & hoc miserandus; in armis
Filius adversis, quod stetit ante patrem.
LVDIT in humanis sævi VIS EFFERA Fati,
Maxima certantis præcipitaro gradu.

* Ad Banocum amnē prope Sterlingum.

II.

QVI legis immanem Regni Regisq; ruinam,
Illacrymans tumulo, tristia fata geme.
Vna sorte duo periere. Ah pessima pestis
Perdit adulatrix, gensq; cruenta duo.

IACOBVS IV. REX CV.

Anno Mundi 5459. An. Christ. 1489.
à conditu Regni 18 19.

I.

TRISTIA fata gemens genitoris, ferrea gestat
Baltea, & hæc luctus dat monimenta sui.
MARGARIS Angla datur thalamis. Hinc Anglica sceptra
Debentur fatis SEXTE IACOBE tuis.
Pax regnis redit, & pleno BONA COPIA cornu,
Et blandum adspirans aura secunda favet.
Rursus ad arma vocat lætis SORS invida rebus,
Tueda ubi * finitimam gurgite sulcat humum.
Flos procerum, Patriæq; simul Pater optimus unâ
Sorte ruunt. HEV Sors semper acerba bonis!
Quòd si animis orsisq; tuis Sors æqua fuisset,
Imperij Fines ultima terra daret.

* Ad Flusidonem montem in Anglico solo.

II.

DESINE Pyramidum moles, ac Mausolêa
Sollicitus * vacuum surrigere ad tumulum.
Illum Fama vehens latè circumsona Olympo
Æquat. Pro tumulo maximus orbis erit.

* De corpore enim nondum compertum est.

Jonston, J.

IACOBVS V. REX CVI.

Anno Mundi 5482. An. Christ. 1514.
à conditu Regni 1844.

I.

DVM primum teneris PRINCEPS adolescit ab annis,
Iactatur quantis patria mersa malis?
Omnia agunt, rapiunt, vesano mista furore
Anglorum arma foris, viscera nostra domi.
Grandior ipse adeo cum Regni sceptra capessit,
Sera venit tantis vix medicina malis.
IVSTITIÆ vindex, clemens juxta atq; severus:
Pronior in Venerem; promptus ad arma tamen.
Non semel infestis signis ille ausus in hostem
Ducere. Sors cœptis vix satis æqua fuit.
Confectum assiduo tristis Fortuna dolore
Obruit. Ah frangit fortia corda DOLOR!

II.

QVI Reges inter Rex inclutus Europæos,
Fortunæ nuper claruit auspiciis.
Aspice queis mersus Fortunæ fluctibus ILLE
Nunc jacet. VT VARIANT rerum, hominumq; vices!

MARIA REGINA.

Anno Mundi 5513. An. Christ. 1543.
à conditu Regni 1873.

I.

An. Melvino Authore.

REGIBVS orta atavis, & dignis aucta hymenæis
Gallo nupta, Anglo prognata, atq; edita Scoto,
Sum MARIA amborum Regnorum nobilis hæres;
In lucem genitori, in regnum fratribus hæres,
In patriam matri, in thalamos suffecta marito,
Regum adii fortunam omnem, rerumq; labores;
Ausa etiam dubio voti vim credere Marti,

Pulsa,

Pulsa, viris animos feci. Tibi debita Nate
Sceptra dedi. Sic ulta patrem, sic ulta maritum.
Non fracta exilio, regnavi in carcere; regnum
Spe tenui inconcussum animo, sperare licebat
Dum licuit spirare. Et nunc cervice securim
Accipio secura. Metum moritura relinquo
Hostibus, exemplum regnis, atq; aurea regna
Hæredi; ingeniis sylvam sceniſq; virentem.

II.

Eiusdem.

REGIBVS orta, auxi Reges, Reginaq; vixi:
Ter nupta & tribus orba viris, tria Regna reliqui.
GALLVS opes, SCOTVS cunas, habet ANGLA sepulchrum.

III.

Ioh. Ionstone Authore.

TOT soboles regum, & genitrix, & regia Conjux,
Cui triplices titulos Regia sceptra dabant.
Fors plures merui. Fruſtra hæc tamen omnia. NEMO
Magna putet, Sortis quæ penes arbitrium.

IACOBVS VI. REX CVII.

Anno Mundi 5537. An. Christ. 1567.
à conditu Regni 1897.

I.

QVVM tibi & imperium, & cælestia munera Olympo
Depluit æterni dextra benigna DEI:
Da te SEXTE DEO dignum. Tibi gloria surgat
Tot meritis, quot sunt munera celsa animi.
Orbis amet, Regemq; colant te Regna Britanna.
Vt post gesta duo, tertia sceptra feras.

II.

AVREA Relligio nascenti arrisit, & usq;
Aurea Pax fovit; nobile par Comitum.
Aurea, rara dedit cæli indulgentia. Debes
SEXTE igitur nobis aurea secla iterum.

Jonston, J.

III.

ANNO Christi CIↃ IↃ LXVI. XIX. Iunij nascitur. ET EOSTICHON.

PaX LVXqVe aLMa poLI, seXto nasCentI IaCobo,
InLVstrat VerIs aVrea sCeptra opIbVs.

HENRICVS FRIDERICVS.

Scotorum PRINCEPS nascitur
XIX. Februarii.

Anno Mundi 5564. An. Christ. 1594.
à conditu Regni 1924.

I.

O multùm optato seclorum sidere nate
MAGNE PVER, magni maxima cura Patris!
Magnanimum, invictumq; genus de sanguine divûm,
Tot referens fortes stemmate utroq; Duces:
Disce recensitos, relicta sidera, Reges,
Fataq;, & augustæ tot monimenta domus:
Vivida quid valeat Virtus, quæ Principis artes,
Quæq; prius fugias, quæq; imitere, legas.
Tu quoq;, cùm matura virum te fecerit ætas,
Versabis validâ Regia sceptra manu.
Sceptrigerum servare genus, generisq; nepotes
SANCTE velis, patriæ cum populoq; Duces.

FINIS.

IN DE
FENCE
R
I 6

ROBERTVS II REX SCOTORVM, 54

ROBERTVS II. STVARTVS. An. Chriſt. 1371.

MAGNVS avis, felix ventura in ſecla Nepotum
Progenie, æternat proſpera fata Ducum.

ROBERTVS III REX SCOTORVM.

Jonston, J.

ROBERTVS III. An. Christ. 1390.

PECTORE tranquillo, vitâ sanctissimus omni,
Ferre nequit tetricæ jura superba Deæ.



IACOBVS . I . REX . SCOTORVM .

3

IACOBVS I. An. Christ. 1424.

CORPORE non ingens, invictus robore mentis,
Omnigenis auxit regna beata bonis.

Jonston, J.



IACOBVS. II REX SCOTORVM. 56

Jonston, J.

IACOBVS II. An. Christ. 1437.

OSTENDVNT terris hunc tantum Fata. Sed annos
Exsuperans virtus perpete laude beat.

IACOBVS III. An. Christ. 1460.

PRIVA ſui ingenij, ſequitur dum prava ſuorum
Conſilia, exitio ſe patriamq; dedit.

Jonston, J.



IACOBVS, IIII, REX, SCOTORVM, 57

IACOBVS IV. An. Christ. 1489.

Et famâ, & meritis, priſcis par Regibus, alto
Pectore, conſiliis, imperioq; gravis.

Jonston, J.

IACOBVS. V. REX. SCOTORVM. 55

IACOBVS V. An Christ. 1514.

FAMA ingens, virtuſq; prior ſuper omnia fulſit.
Iuſtitiâ præſtans, nec minor imperio.

Jonston, J.

MARIA . REG: . SCOTORVM , 58

MARIA REGINA. An. Christ. 1543.

FORTVNÆ imperio major quæ ſtare videbar,
Flebile mox fio ludibrium dominæ.

Jonston, J.



IACOBVS. VI REX SCOTORVM.

IACOBVS VI. An. Christ. 1567.

INCLYTVS oris honos animoso fulget in ære.
Quis valet arcanas prodere mentis opes?

Jonston, J.

ANNA . REGINA . SCOTORVM .

Jonston, J.

ANNA REGINA.

FORMA, animis, atavis, & prole, & Rege marito
Felix; des meritis regna beata tuis.



ANNA REGINA.

TORMA, animis, aravis, & prole, & Rege marito
Felix; des meritis regna beata tuis.

Jonston, J.